RICHARDI SADLEIRI DE PROCREANDIS, ELIGENDIS, ALENDIS, FRÆNANDIS ET TRACTANDIS EQVIS EXPERIENTIA.

K. 156. d. 2

LONDINI EXCVDEBAT
Henricus Midletonus.

ANNO. 1587.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

VIRO CLARO, AC HONORATO, RODOLPHO SADLEIRO, EQVITI AVRATO, PATRI SVO COLENDISSIMO RICHARDVS SADLEIRVS SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

DEVS cunctis, tam abunde, ac gratis, quæcunque bona sunt largiendo: nos docet, vt mutua beneuolentia nosmet amplectamur, nobisque inuicem benefaciamus. Pleni sunt etiam philosoporum libri, non esse nos solum nobis natos. Mos præterea antiquus viris priscis, prodesse patriæ, quamuis vitæ iactura. Vniuscuiusque igitur officium esse videatur eniti, vt reipublicæ prosit. Quam ob rem ne ipse solus officium non colerem: duodecim abhinc annos anglice librum scripsi de re equestri. Interim nonnulli de eadem re eadem lingua scripti libri exiere. Meum igitur non anglicum modo, sed latinum etiam esse nunc volui, vt & tibi pater charissime aliquod noui fecisse videar, & vt iuniores non ipsam artem tantum discant, sed legendo linguam quoque exerceant suam. Scripsit de hac eadem re græce Xenophon, vir præclarus, peritissime quidem quæ scribit. Quàm vtilis vero res fuerit scire, ad bellum parare equum, eoque in ipso prælio artificiose vti, quid disputem, cum nulla regio diu externo hoste careat, tantumq; valeat

ualeat equitatus eum ad vim repellendam, tum ad illam hosti inferendam? Scribo autem ad generosam adolescentiam, quam ætatem, propter illius imperitiam audacius quis doceat. Sed tibi chare parens librum dico, meosq; labores consecro, cui non labores modo, sed vitam, & si quid præterea in me laude dignum sit, debeo. Nam sine te nec fuissem, nec quid scirem. Te autore primò natus sum, deinde magno tuo sumptu educatus liberaliter. Patauij enim in Italia, Argentorati in Germania, Cantabrigiæ in Anglia, vt melioribus disciplinis operam darem: abunde, ac large suppeditabas. Quod vero ad rem equestrem attinet, si quid hic valeam, id totum tibi acceptum refero. Nam domi tuæ, equis tuis, quibus præponi me voluisti, experientiam qualem habeo, mihi comparaui. Quare hoc solum desideratur, vt te dignus liber foret. Qui quidem licet indignissimus sit, vt abs te legatur: orandus es tamen pater, vt pro solita benignitate tua, eum aspectu tuo digneris, & legere vnam, atq; alteram lineam velis, ac filij bonam voluntatem, boni consulas. Vale in multos annos atq; hoc deum optimum maximum precor, vt qui te amamus gaudere diutius possimus, nam te extincto quid nos? Valeat & basis, valeat nostræ domus & splendor.

RICHARDI SADLEIRI DE PROCREANDIS, ELIGENDIS, ALENDIS, FRÆNANDIS ET TRACTANDIS EQVIS EXPERIENTIA, AD NOBILIOREM ANGLICANAM ADOLESCENTIAM AD QVAM HOC SCIRE PRAECIPVE ATTINET.

CAP. I.

QVanquam merito peritus dici eques possit, qui sellam decenter genu comprimit, qui non facile inde excutitur, qui equum licet ad manum paratũ artificiose tractare nouit: quamuis inquam qui hoc modó nouerit, non immerito peritum equitem dicas: quoniam nec decorum, nec tutum sit in sublimiori loco natis, vlterius cum equis progredi, & qui in republica generosi magistratum gerunt, grauiora tractant: equites vero milites, plura quærere otium non habent: in perfecto tamen & omnibus numeris absoluto equite, longe plura requirũtur. Nouit is quo modo optime sit procreãdus equus, quomodo eligendus, quomodo frænandus, quomodo in equili gubernandus, quo modo ad vsum ciuilem, & militare paran-

dus, vt & promptus, & audax fiat, prout bonitas, & natura equi tulerit. De quibus (licet non me illum equitem existimē) quod expertus sum, libro sequenti scribere decretum est. Quomodo vero ferruminanda sint fræna, quomodo ferra accommodanda pedibus, quomodo conficienda ephippia, & id genus alia, quanquam sine his commode equitare nō possumus, relinquam illarum artium magistris. Nihilominus tamen, ne in hisce quidem prorsus ignarus esse poterit hic noster eques. Coniicere enim, imo nouisse potius illum oportet, quomodo aperiendus pes, quomodo affigendum ferrum pedibus. Porro edocere artificem, cuius formæ velit frænum esse, debet. Sellam quoque dum contemplatur, scit num nocebit. Alioquin si totus acquiescat, in artificis commendatione: verisimile est fore, vt decipiatur. Nam opera sua, & merces quas habent venales laudant homines, vt illas vendant, & lucrentur. Est natura hominis, amare seipsum, atque id certe nimis, ad aliorum vel detrimentum.

De Equorum procreatione.

Cap. I.

INcipiamus itaq; ab equorum procreatione, & quomodo optime gigni possint ostendamus. Quoniā habere equos prius necesse est, quā vel equitare vel illos tractare queamus. Dent igitur operā quibus equorū procreatio curæ est, vt mares, & fœminas eligant quā optimas. Nam quemadmodū verisimile est, recepturum illum fructum, & semen bonū, qui fructum bonum supra plantam bonam plantauerit, & super terra bona semen bonum seuerit: ita haud vero dissimile est, si equā bonā bonus saliat equus: fore vt procreatio sit bona, vt boni pulli, & contra. Sita est autem electio, in colore, & in forma. Colore, animi vigorem, forma, corporis præstantiam diiudicamus, num præstare id queat quod significat color. Atq; hoc loco (nam

(nam de colore postea dicetur vberius) quod ad colorem attinet, sit idem color tum equi, tum equulæ. Vita diuersos, horresce contrarios. Noli coniungere equum nigrum, equæ albæ, neq; equum album, cum equa nigra. Qui colores contrarii sunt, & hi quidem soli. Porro caue, ne fuluum, vel badium splendidum, cum equa nigra, vel alba copules, qui colores sunt longe diuersi. Et quomodo hos, ita eius generis alios colores recusabis. Quia verisimile est ex contrariis, & tam diuersis coloribus, nascituros pullos, qui minus delectent, imo maxime displiceant oculis. Atq; ita plerumque euenit, licet quandoq; aliter contingat. Vidi enim ipse ex equa alba, & equo nigro, (quem *mala testa* nominaui) natum pullum penè album, vultu tamen obscuriore. Ex equa fulua, & equo fere albo, cui nomen erat *Bowes*, genitum pullum baium. Nihilominus tamen, quoniam non facit vna hirundo ver, nec iis quæ raro contingunt fidendum est: vt id declinemus, quod & possit, & soleat præter expectationem multoties infælicius accidere: bene fecerit, qui eosdem semper colores coniunxerit, album cum albo, nigrum cum nigro. Vel si eosdem habere nequiuerit, qui illos saltem colores commiscuerit; qui ad eosdem quam proxime accedunt. Id quod facit is, qui fuluum, vel baium splẽdidiorem, cum obscuriore, totum album, cum paululum nigrescente coniungit, & ad eundem modum cæteros colores disponit. Quod ad formam attinet, de qua postea, in hoc loco satis erit dicere, vt quam in equo admiseris, eam in equa ne aspemeris, eadem enim vtriq; figura conuenit. Pro equorum generatione, hoc præterea obseruandũ, vt equus sit plenè annos quinq; natus nec minor, equula quatuor ad minimum, nec iunior, vt ille ad generationem robustior, hæc ad concipiendum aptior sit, minimeq; prima prole debilitata, eaque ratione in posterum ad procreationem ineptior. Porro vt admissarium integra esse ætate, ita nec senio confectum esse oportet. Corpus etiam sit solidum, atque sanum, pedes, & tibiæ, à natura sanæ. Natura dico, quia si

With a white gray, or an appeled gray.

casu læsæ, deteriores factæ sint, minus refert, modo ne illi adeo doleant equam vt facile cooperire nequeat. In corpore tamen intrinsecus, vide nulla insit ægritudo, nam ex ægro, & corpore debili, nullum emanare semen firmum, aut valens potest. Hoc in fœmellis quoque obserua, vt corporibus firmis, & valentibus sint. Nunc vbi parati sunt tam mares, quam fœminæ, qui placeant: restat vt de incremento, quam id optime fieri possit cogitemus. Certissima vero hæc procreandi ratio videatur, si mares, & fœminæ simul liberi eant. Ita is illam eligit, quæ paratissima est, illa vero quæ equo opus habeat, illum adit, prout docet natura. Nihilominus tamen quomodo ad fœmellas erunt emittẽdi mares, oriatur quęstio. Quibusdam placet campus, angustior tamen, & bene munitus. Hîc admissarius, posteaquam in equili septem aut octo dies gramen vorauerit: equas inuenit, quæ domino ad rem idoneæ videntur, vel quæ iam fœtum ediderunt. Hoc simul loco herbam quàmdiu par est, pascunt, donec verisimile fuerit, quòd fœmellę conceperint. Tum recipitur in equile admissarius. Bona hęc permultis via ad habendos pullos videtur, atque ita est. Concedatur. Alii tamen nonnulli sinunt annos integros continuo admissarium currere cum equis. Atque mihi hęc melior via. Nam qui tam bene saginatus, (quomodo prior ille equus) prodit subito de equili, nullum habet equarum delectum, ad coitum paratæ ne sint, an secus, sed insanientis instar, calcibus quam potest cogit (cogere vero nũ possit dubia res est.) Hac relicta, aliam similiter, quæ proxime obuiam venerit, aggreditur, se frustra consumens, aut nihil tempestiue agendo, aut si quid egit, effrenata sua libidine frustrando forsan, quod paulo ante egerat. Vt fecit *Hauns* admissarius quidem valens. Qui hoc modo bis duobus annis, cum suis fœmellis in pascuis currens, genuit tres solummodo pullos, qui *Yong Hauns*, *Iacsun*, & *Wener*, nominabantur. Post illum *Gray' Bowes* vnum tantum genuit, quem ironice *Goodlue* appellaui. Hunc sequitur *Snap*. Is vnum solum duobus annis

pullum

pullum generat. Hoſce ego admiſſarios, cum ſuis pullis eò libentius in memoriam reuoco, quoniam in ædibus, & in equili noſtro adhuc ſuperſint, qui mecum horum recordentur, & ſciant vera eſſe quæ prædico. Equæ, quibuſcum hi equi vna paſcebant, erant octo. E quibus tam exiguum incrementum, cui rei tribuam, niſi admiſſariorum nimiæ færoci libidini qui nimis valentes, nimis bene paſti ex equili prodeuntes, prius ſe ſua libidine nimium extenuauere, quam naturaliter operari cæperunt. Hæc coniiceret quiſpiam, ſcire me quî anſim affirmare? Aſt aliter fiet, cum hoc noſtro admiſſario, qui continuo, annuatim, annum integrum, cum ſuis fœminis verſabitur, tam hieme, quam æſtate. Non erit is adeo effrænis, adeo libidinoſus. Quiete hic cum fœminis iuit, quomodo ceruus, taurus, aries & cætera animantium genera, cum ſuis fœmellis eunt. Nouit hic fœminas ſuas, & viciſſim illæ eum nouerunt. Sinit prægnantem intactam, nec iam effœtam prius adoritur, quam illa appetat. Diuinarent qui illum intuentur, præuidere eum, quod in ſe longum opus ſumpſerit. Nunquam ſalit niſi admodum prouocatus, illam quæ æque coitum cupit. Qui vero ad hunc modum coeunt, qui fieri poteſt vt fallant dominum, quin illi quotannis pullos reddant? Id quod certe facerent, ni tam ſæpe contingerẽt abortiones illæ, quæ toties nimis multis de cauſis accidunt, raro autem, vel nunquam inueniũtur, in ſpatioſis præſertim viuariis. Præcipua igitur cura, quæ de hoc equo adhibenda erit, cui diutius in hoc negotio commorandum fuerit: hæc ſit, vt cibi ſat habeat, quo valentior permaneat, vt domum habeat ad hibernandum, medio tamen apertam, quo & is, & fæminæ ſe recipiant vbi velint, fænum vt edant, & a frigore ſe defendant, & vbi libuerit foras iterum egrediantur, ad herbam paſcendam. Præterea ne quis equulus in illius poſſeſſiones irrumpat prouidendum eſt, qui illum cum ſuis vxoribus quiete paſcentem interturbet, præſertim vere, vel æſtate. Nihilominus tamen quoniam ad hunc modum con-

tinuo foris pascens, nulli nobis vsui sit, quatenus ad ephippium pertinet; (id quod ægre ferimus, qui auide generosis equis insidemus:) permulti qui tam diu carere equo nolunt: hanc generandi viam recusant, & domi sub tecto, ad equas admissarium ducunt. E quorum numero ego sum, qui quod melius est, & video, & probo, sequor tamen, quod deterius sit. Nam re vera bene amittitur vnus, licet optimus, pro multis, qui cum eo comparari queant. Vt verum tamẽ fatear, quid præstet admissarius hic, qui annos integros cum fœminis currit, expertus nõ sum. Quapropter ratiocinatio tantùm hæc sit, quid verisimile fuerit præstiturum illum. Nunc ergo vt quam possimus bene, in deteriore hac via (deterior si sit) ambulemus: si foris sinere equum nolimus: fac edat intus in equili, herbam, & auenã, quatuordecem ad minimum dies, priusquam illi equam ostendas. Septem dierum pastum, satis esse minime iudico, quia potest dietæ mutatio tam exiguo tempore, minuere potius, quam augere vires, licet bestiarum stomachis optime conueniant herbæ. At concedatur primo quoque tempore augeri vires, tunc & hoc concedatur necesse erit, quo diutius hac dieta fruitur, fore vt eo magis augeantur. Iam ad equum hunc valẽtem et tam bene ad rem saginatum, equam adducito, quæ tam marem, quam ille fœminam appetat. Alioquin si non appetat, si recuset, verisimile est, quod non concipiet. Nec vnquam vidi (quamuis contingere posse aliquando non negem) equam fœtum quæ emitteret, nisi aduentantem equum, vltro amplexa fuisset. Probe igitur facies, si eam equulo aliquo prius tentaueris, quam illam admissario ostenderis. Nam quemadmodum vero dissimile est, concepturam eam si non appetat coitũ, ita vero similimum, quód non frustra semen apprehendet, si coeundi desiderio teneatur, appetentia vtrumq; naturaliter prouocante. Operiat autem equam admissarius, bis vno die, & non amplius. Nam quanto longius intermittitur temporis spatium, tanto vberius semen emittit, & pullum maiorem gignit. Quapropter

propter non incommode fiet, si vnum, vel duos dies in septimana, etiam otiosus ab opere suo quiescat, optime vero factum, si cibum des quantum commedere velit. Fœmellæ quoque bene satis pascendæ sunt, sed non bene nimis, ne pinguiores evadant, quam par est, & fœtus angusto nimium loco includatur, eoq; nascatur minor. Cooperiat femellam admissarius, ter biduo. Bis mane, semel vesperi, vel contra. Sufficient hæc tria tempora, imo si recte acciderit, primum quodque sufficit tempus. De aurora, vel de vespera, quid dicam? de noua luna, de plenilunio, aut cum senescat luna, quod tempus horum ad marium procreationem preualeat, nil certi habeo dicere. Quoniam multoties vidi, coiuisse marem cũ fœmina, singulis hisce temporibus, vno vero anno masculum altero fœmellam procreatam: imo duas equas eadem hora, cum equo coiuisse, quarum altera anno sequenti marem, altera fœminam peperit. Si tamen esse temporum differentiã velis: commisceant corpora, luna cum senuerit, & non longe aberrabis. Porro vt oportune partum edant: temporis coitus ratio habenda, vt tum fœtum emittant equæ, cum herba abundauerit, vberius pullos lactare vt queant. Præterea diligenter equas obserua, & si quam inueneris, quæ post coitum non conceperit, statim ad equum eam reducito, & quomodo prius ita nunc ter biduo coeant. Quamobrem vt summum incommodum vites, quod infelicius contingat, ni cautior fis, secundo vt coeant equæ, si necesse fuerit: studiose illas speculare, & si quas repereris, quæ adhuc equum appetant, maturé ad illum deducantur, ne admissarium diutius quam par est, in herba detineas, equę vero sequenti anno intempestiue pullos, & aliæ, longe ante alias proferant, & pulli difficiliter educentur. Præterea vtere admissario anni initio quam potes matutissime, quam mox gramen illi acquirere licebit. Vt licet secundo congrediatur mas, cum fœmina. Sero tamen nimis non proferatur partus. Sed hic, vbi secundo loco cõmittendas admissario equas consulo, nonnullis curiosus nimis videar,

videar, quia cupere coitum equam volunt, etiam prægnantem, id quod etsi concederetur, non concipit tamen quæuis semper primo coitus tempore, quod cum acciderit, prodesse secundum tempus necesse erit. Ast ego aliter sentio. Mihimet ego persuadeo, non admissuram rursus consortem, quæ se ad rem prius coiuisse inuenerit. Quod & vos mecum experiemini, si inter primum, & secundum congrediendi tempus, æquum posueritis interuallum, spatium solummodo quindecim dierum. Quamquam nonnullæ breuiori spatio sibi satisfactum esse comperiunt. Id quod comperiebat *Vnsere*, quæ admissarium post octo dies semper recusabat. Sed post quindecem dies, non ambigo affirmare recusaturas pleraſq; omnes, si conceperint. Quod si secundo equum ad se vocauerint, proximo anno, pariendi tempore, tum primum, & non antea, rem peractam reperies. Auere inquam, & vltro se equo offerre debent, alioquin si vincias, si pedes constringas, & ita recipere equum cogas, nihil dico. Hoc.n. agendo, alias reddes steriles, alias abortionem facere compelles, id quod ipse iuuenis quandoq; imprudenter feci. Secunda vero hac coniunctione, quomodo prima, ita nunc denuo terbiduo coniungantur, bis mane, semel vesperi, vel contra. Et ita tertio coniungantur, si appetat equa, nam quoties equi desiderio angitur, toties adducendus equus, ni iam adeo præterierit anni tempus, vt præstet incremento carere, quam vnius equę ob libidinem, diutius admissarium in herba tenere, & pullum sequenti anno habere, quem ægre educabis. Plures autem simul quam vnam huius conditionis raro habebis. Quod si habueris, eadem sit omnibus fors. Sint porro pascua, sint viuaria, quibus procreari tibi pullos equinos velis, cibi plena, ficca, arboribus & arbustis referta, quæ à frigore defendant. Si insint etiam colles, qui matrum, & pullorum tibias exerceant, eò meliora erunt. Videndum præterea, vt sepi vel pariete bene muniantur, ne quis peregrinus equus irrumpat, & damni aliquid faciat. Atque hic quidem non inepte, (quandoquidem

dem de generatione sermo est) indicabimus, quamdiu prægnans incedit equa, & signa ostendemus, quibus nouisse liceat, num prægnans fuerit, vel non, & possit ad equum secure adduci. Est igitur prægnans equa, vndecem plerunq; menses, vnam ebdomidam, & paucos dies. Quam ego rem multos annos diligenter obseruaui, scriptis eam, non memoriæ committens. Singulis enim annis, & coitus, & partus scribere tempus soleo. Nihilominus tamen, nonnunquam inuenisse me equam fateor, quæ integrum hoc tempus non permanserit, sed ante peperent, ac id quidem satis feliciter. Quæ res mira videri nõ debet, præsertim in tali viuario, quale nostrum est, quo nostri gignuntur pulli, vbi tot serui, toties nostras equas, cõtra quam par est, agitant, dum dominorum castratos capiunt. Porro hi castrati, dum cum nostris equis cursitant, sæpe in causa sunt, vt altera calcibus verberet alteram. Venationes itidem, quamuis nõ crebræ, non possunt non dare aliquid damni. Atq; etiam ex præualenti corporis robore, ante ordinarium (vt ita dicam) hoc tempus, parere equam posse, facile concedetur fortassis, sed vt excedat illud tempus, difficiliter. Quanquam & hoc etiam aliquando accidit, quod ipse expertus scire debeo. Imo vidi eadem vno anno vterum ferentes diutius altero, octo, vel nouem dierum spatio. Equæ vero prægnantis signa, cum prope adest pariendi tempus, hæc sunt, equi nulla cura, vterus prominens, eminens huber, atq; distillans. Contra sterilitatis, atq; infæcunditatis signa, huberis tenuitas, & siccitas, ventriculi angustia, coitus desiderium, & ardor. Sed facillime vt cognoscas, vbi cum admissario equam coniungas secure, ne fœtum perdat, temporis pariendi rationem habeto, ante quod tempus, duos menses, si horum nullum signum appareat: scire debes, non alere illam fœtum, sed posse sine periculo ad equum adduci. Pariendi vero tempus cognosces, si coitus tempora obseruaueris. Auribus aquam instillando, & aliis huic similibus nugis, experiri equa, num prægnans fuerit, ridicule fiet, licet hoc approba-

uerit,

uerit, vir alioquin in re equestri peritus. Etenim quæ sensu forsan caret, non mouebit caput guttam si instillaueris, etsi prægnans non sit, quæ vero sentit aquã, etiamsi instet pariendi tempus mouebit. Dabit veniam licet in hoc illi fidem non adhibuero, cum quæ magnos vteros gerunt, videam, huc, illuc, haud coactas, sed sponte cursitantes, dum amissas è conspectu solummodo consortes quærunt. Aliam (id quod fecit equa virsicolor fratris mei Henrici) in luto volutari aquæ pleno haud tres dies antequam fœtum ederet, aliam se humi, in vtrumque latus voluere, uix septem dies, antequam pareret, id quod factum est ab equa quam *Hipsbmodele* appellaui. Qui quidem tanti cursus, quæ volutationes, plus detrimenti fœtui quem in vtero alunt, afferre videantur, quam capitis solius modica conquassatio.

Quomodo equum eligas. Cap. 2

QAm vero, quod ad electionem attinet, in equo eligendo, colorem, & formam considerabis. Nam quomodo ante dictũ est, colore animi virtutes, & vitia; corporis figura, habilitatem, quæ id præstare possit, quod præ se fert color, diiudicamus. Inter præstantiores igitur colores numeramus album, orbe vbiq; nigro, per corpus, baium fuscum, labris, & iliis fuscis, baium splẽdidiorem iuba, & cauda nigra, spina a collo, ad caudam vsque nigra, aurium & tibiarum extremitatibus nigris, album pilo nigro, eoq; spisso commixto. Cuius coloris equi, pleriq; omnes boni, per caput, per collum, per corpus, pinguntur maculis fuscis. Pellis præterea albicans, sed abundans magis nigro, quam pilo albicante recipitur, hic color anglice (est enim interprete opus) *a white Roone* dicitur. Quò nigrior iuba, spina, cauda, tibiæ, color eò melior. Totum nigrum etiam adamamus, modo vnus, vel tres fuerint pedes albi,

bi, ſtella in fronte alba, aut linea recta, eaque alba per faciem, pene ad nares. A natura autem, non ab arte ſit hæc albedo oportet. Pilus præterea, ad auri colorem: pilus qui ad colorem caſtaneæ nucis quam proxime accedit, orbe per corpus frequenti, pomorũ inſtar, merito collaudatur, modo & iuba, & cauda, ambæ albeſcant. Quod præter hoſce, aliorum colorum boni inueniantur equi, haud inficior. Sed eſſe hos præcipuos, eſſe præſtantiores iudico. Qui omnes in aliqua corporis parte, nigrorem admittunt. Animaduerte igitur, quo nigra magis aurium puncta, quo iuba, quo cauda, quo tibiæ magis nigræ fuerint; eo fore colorem meliorem: ſpina etiam nigra, ad caudam vſq; colorem decorat. Porro quanto plures in eodem equo colores, tanto meliores. Vt in badio, vel albo, circuli, vel orbes nigri; in baio nigricante, vel ſplendidiore, pili argentei. Rurſus quó ſpiſſiores orbes, eò maius colori decus adferunt, & equi bonitatem commendant. Hic videor mihi, poſſe me, haud inepte, eiuſmodi ſigna, vel notas oſtendere, quę in equo vel probantur, vel condemnantur. Equus in duos colores equabiliter fere diuiſus, qualis eſt cuius anteriores partes albæ, poſteriores nigræ ſunt, vel cuius alter humerus albus, alter niger reperitur, iliis, naribus, & labris crudis, (vt aiunt,) ac oculis glaucis: equus anteriore, & poſteriore pede albis, ſed contrariis lateribus: equus nebula (vt vulgo dicitur) in facie, cuius vultus triſtis eſt, & melancholicus, iure vituperatur. Equus vno, vel tribus pedibus albis, equus cuius in frõte ſignum altè ab oculis eleuatur, collaudatur. Ne condẽnes tamen eum, qui illud ipſum ſignum habuerit inferius, vt infra oculos collocatũ, quòd ex his nonnullos viderim, ad laborem perferendum quam optimos. Si duas in fronte tales notas habuerit equus, eò magis placet. Pluma (plumam vero vocamus pilum intortum plumæ ſimilẽ) per naſum, pluma vno, vel vtroque latere colli, pluma per medium pectus, ſumme commendatur. Quo plures plumæ, eò melius. Stella in fronte alba, linea recta, per faciem alba, quæ tamen abrumpi-

tur, priusquam ad nasum accedit, album ipsis naribus, latum pollicem, cui non placent? Contra facies tota alba, nasus crudus, oculi glauci, superciliis crudis, tibiæ albæ cui non displicent? Verum quemadmodum non est omnis equus bonus, in quo bonitatis hæc signa quædam inueniuntur: ita nec est quiuis reiiciendus, in quo notas reperis quasdam, quæ illum nequitiæ condemnent. Sed tamen illum elige, qui quantum coniectura assequi poteris, se bonum ostenderit, & bene electurum te verisimile est.

Sequitur vt quomodo de colore sit dictum, ita nunc de corporis figura dicatur. Quod ad formam igitur attinet, a capite incipiamus. quoniam est ea cum in homine, tum in bestiis, prima, & præcipua pars. Porro ex capite equi, & ex vultu (si esse in equo vultum dicere liceat) quam optime diuinamus, qualis futurus sit, bonus ne, an malus, alacer, an tristis, agilis, an tardus. Sint aures itaque angustæ, tenues, curtæ, acutæ, ante frontem arrectæ, radicibus non longe remotæ. Nam quemadmodum equum longis, latis, crassisq; auribus, equum qui aures ad radicem longe disiunctas habuerit, difficiliter vnũ in mille bonũ reperias: ita raro aut nunquã equus inuenitur malus, cui tã perfecte aures natura formauerit. Sit frons latus, tumens paululùm, oculus plenus, non cauus, nec in capite fixus, sed argutus. Nasus rectus, vel leuiter aduncus. Sint inflatæ nares, fauces paruæ, macellentæ, instar faucium cerui. Inter fauces spacium esse debebit amplum, atque profundum. Sit vniuersum caput macrum, nihil præter ossa, & cutem, caro nulla. Collum longum, & vbi reliquo corpori adiungitur latum. Crista tennuis, incurua, iuba, molli, eaque rara ornata. Armorum apex, vel summitas elata, sellam vt decenter ferat, eamq; repellat, potius, quam admittat. Pectus spacioſum, ac rotundum, ita vt femina vbi corpori annectuntur longe seiungat. Armos habeat amplos, carnis plenos, corpus decorè productum. Latera profunda sint, & globosa, intra quæ pulchre latebit venter exiguus, non eminens. Et

quod

quod penè oblitus eram, sit recta, plana, & brevis spina. Sint plena ilia, non inania, caudæ vertebrum grande, alèt locetur. Sint coxæ rotundæ, lacertosæ. Quæ omnia simul, ilia nimirum referta, cauda magna, coxæ rotundæ, clunes efficiunt spacioſas, atq; globoſas, haud minimum quidem in equo ornamentum. In cauda sint crines longi, rari, subtiles. Pilorum enim natura raritas, & mollitudo, in cauda, & iuba, signa sunt agilitatis, signa alacritatis. Aſt vbi leuare caudam velis, facile illam, an difficile leues, non refert, quia vtriuſq; generis boni reperiuntur equi, & qui difficilliter, & qui facilliter sinunt eleuari caudam. Nec attinet hoc ad corporis figuram. Sed tamen quoniam in hunc sermonem incidimus: tribuit communis opinio illis, quibus difficulter leuatur cauda, bonitatem ad laborem perferendum, quibus vero facilliter, agilitatem, ac in via alacritatem. Id quod ipse verum esse multoties comperio. Sint tibiæ longæ, latæ, macræ, piloſæ, robuſtis decoratæ articulis, similibus boum. Sint tali nec proceri, nec depreſſi nimis, sed mediocres. Ne sint graciles, sed quātos manu facile ambire queas. Super hos stet erectus. Sint vngulæ, arduæ, rotundæ, cauæ, non molles, nō fragiles. Quæ quidem duæ poſtremæ differentiæ qualitatem, non formam denotant. Nigræne, an albæ fuerint ad rem non pertinet, Maiori tamen hominum parti placent nigræ. Atque poſtremas hasce partes, in equo speculabitur præcipue, ac perſcrutabitur eques peritus. Nam si tibiæ, si pedes nil valuerint, quid facies cum reliquo corpore? poſtremo in equo eligendo, ætatem, & sanitatem considerabis.

Quomodo in equili fuerit tractandus equus.

Cap. 3.

NOn iucunda modo res, sed etiam perutilis erit, equum habere confidentem, ac comem, qui te non timeat, sed lubens patiatur vbi velis illum tangere. Contra odioſum est, habere equum adeo timidum, adeo repugnantem,

vt omnia rumpat potius, quam se tangi sinat. Porro inutile, nam in quo timor hic, & contumacia simul radices egerint (id quod in plerisque contingit brutis, quæ diutius indomita permanent) illius sæpenumero iactura fit, priusquã ad obedientiã, familiaritatemq; reduci queat. Quamobrem ad incommodum hoc euitandum: mature, quam primum ab vberibus matrum pullos abduxeris: (tuto autem id facere potes, post sex, aut septem menses, quam nati fuerint) priusquam pascuis illos committas, in domum arctiorem, & decurtatam inducito, vbi facile quando libuerit possis capere. Hic pasce fœno, & aquam dato, diem vnam, vel duos, hominem vt cognoscant, & mansuetiores paulo fiant, antequã capistra imponas. Ad finem huius domus contractæ, sit longior. Habeat tandem quisque pullus suum capistrum, molle, latum. Hoc loco posteaquam in illo contractiore capistra apposueris: Primum vnum, deinde alium, huc, atq; illuc deducito. Qui recusauerit (& hoc quidem omnes) virgis cædatur, ac ducentem sequi cogatur. In domo hac, caue ne lignũ, ferrum, lapis, aut tale quid emineat, nocere quod possit. Sit etiam ipsum solũ planũ, nõ montuosum, absq; foramine, pedẽ ne intorqueant: Hic illos deducendo exerce, ter, aut quater in die, ac quatriduo, ad voluntatẽ tuã intus, in domo, quò velis deduces. Sed quia satis non est domi solum habere mites; foras etiam eundum, foris quoque deducendi erunt. Hic cuiq; pullo, duos vel plures iuuenes, si id pullorum ferocitas requirat, assigna, ac sicut modo intus, ita nunc foris quotidie illos exerce. Et breui, nimirum, quatuor vel quinque dierum spatio, reddes tam in campis, quam domi obedientes. Et quocunq; libitum fuerit animo tuo, illos semidigito trahes. Hoc quoq; obseruandum, vt interim dum in equili illo suo edunt, dum nec in longiore illa domo, nec foris deducuntur: illis vt adulere, digitis frontem, & collum scalpendo; tergum, latus, & femur manibus palpitando, pedes a terra sæpius tollendo. Pedes autem tutius leuabis, si sub pedibus stramentum

copiose

copiose ne labantur sternas, si ad caput pulli, illum qui teneat vnum, alium vero leuandis pedibus constituas. Atq; hæc quidem omnia, vt amantes tui, & familiares reddas. Nam hoc modo si pullos diligenter tractaueris: decem tantum diebus adeo mansuetos efficies, vt facile quò libuerit ducas, pedes vt volueris subleues. Exiguus, & ille perutilis quidem labor, quo in initio facile perficiuntur illa, quæ longiore temporis progressu, cum ferociores euaserint equi, aut nunquã, aut uon sine periculo, multoq; sudore bene fieri queant. Arbores enim dum nouellæ sunt, faciliter inflectuntur, quæ posteaquam ad suam magnitudinem excreuerint franguntur potius. Ac quẽadmodum domi, ita in pascuis etiam, vbi currunt, deducantur pulli, tractentur illorum membra, & pedes leuentur oportet. Ne alieni cito euadant, & fuisse se familiariores obliuiscantur. Hoc si fiat primo anno semel in mense, sequentibus annis semel tribus mensibus, sat erit. Facere autem haud difficulter poteris, illorum ope, quibus curam commiseris, illos vt obseruent, & pabulum submministrent. Postremo quod loco magis accommodato dici poterat: scitote, quod & in domo illa, & in campis, quando equulos vestros deduxeritis, multo sudore illorum corpora manabunt. Cauendum itaque ne frigus noceat, vel in ipso sudore, vel postquam desudauerint. Quare interest, qui considerate illos ab vno, ad alterum stabuli latus agitet liberos, donec paulatim refrigerentur. Præterea ne edant, nec bibant, nisi temperatis corporibus. Atq; hæc quidem hactenus. Tandem ad equile reducendi, iterum erunt, vbi perpetuo pascendi, perpetuo in vinculis retinendi, nisi cum aliter decreuerit herus, præcipue si testiculos habuerint. Deduc igitur in equile, cum tertium compleuerint annum, & non antea. Nam quo diutius sub dio manserint, eo valentiores, cum articuli accrescunt, tum nerui & tibiæ, ac pedes firmiores deueniunt, modo quietus fuerit locus, in quo pascuntur. In equile deducito sub finem æstatis, cum fuerit aer temperatus. Sit autem

finis æstatis (libet enim annum inoperite diuidere) septembris initium, vel si admodum incaluerit, Septembris medium. Nunc habebis illos corporibus intus, & extrinsecus, purgatis, & carne plenis: si tamen fuerit locus inquietior, vbi pascunt, vel quoniam in eo crebræ fiunt venationes, vt quod circa præsepia hinniant equæ, vel quia in eum irrumpant equi peregrini: præstabit vt gramen tam diu non edant, sed in equile potius resumantur, vel in ipso veris initio, incommoda quæ sequi possunt, vt vitentur, nam melius erit illos nonnihil macros resumere; quam longiore suo cursu, eoq; perturbato, periculum facere, in morbum ne incidant. Difficilime enim hisce morbis adhibetur curatio, qui cum equo crescunt, & diu in eo radices agunt, priusquam de illis habeatur suspitio. Ne sudantem in equile deducito, sed refrigeratum. (Id quod facilius fiet, si dum herbam carpit, eum, ut paulo ante præscriptum est tractaueris:) ad præsepium alligato molli capistro & lato, præcipue ipso vertice, ne teratur cutis, duobus validis loris, locum suum vt teneat, pedicis e corio factis, magnum tibiis adiumentum. constitue illi locum spatiosum vbi edat, & iaceat, nec tam consotiis molestus sit, necessario inter equos suspenduntur perticæ. Ita igitur pendeant, vt si sub illorum aliquo, se forte equus voluerit: cum illo resurgant. Tam alte pendeant, vt nec anterioribus nec posterioribus pedibus facile transiliat. Et quod paulo ante melius dictum fuisset: ad finem cuiusq; lori quibus vincitur equus, pendeat pila plumbea, quę illa distendat, ne relaxentur nimium, & equus vel anteriorem, vel posteriorem pedem in illa inuoluat. Si anteriorem dat illud aliquid damni, si posteriorem, licet illico opem tuleris, nonnihil nocebit, si abfueris, non sit sine magno equi detrimento. Atque hoc modo pullos quos ab vbere matrum domaueris liga. Sin tibi quis dederit, vel ipse emeris pullos tres vel quatuor annos natos intractatos & nouos: cum his bene agetur, si horum vnumquemque locaueris inter duos equos domitos, ac condocefactos, vt ab his primum blanditiis

illis

illis queas: præsertim si adeo timidi fuerint propiorem accessum vt perhorrescant: vel adeo feroces, vt sine periculo propius accedere non possis. Hinc itaque illis adulabere; frontem scalpendo, tergum manu palpitando, nates demulcēdo, donec mansuetiores reddideris. Non est omnibus idem tribuendum tempus, alios, citius aliis, placatos reddes. Non sunt eiusdem naturæ omnes. Ne in causa sit igitur alterius cōtumacia, quo minus cum altero qui mitior est progrediare: sine contumacem illum, donec conuenire cum hominibus melius didicerit: (exerce tamen illum quotidie vt potes) & cum mite hoc procede. Ad hunc iam propius accedito. Ac quemadmodū modo à vicino, ita nunc in proprio loco gratificare. Sic præstabit & hic, & vbique rudes paulatim arte docere, arte vincere, quam temeritate, ac nimia festinatione, deteriores reddere. At vlterius progrediendum. Pecte illius iubam, & pone aures, & a fronte, nimirum colli ac verticis iubas, pecte & caudam, at caute tamen hæc. In pectine vbi auribus appropinquauerit, aut nulla, aut parum admodū aquæ insit, ne gutta forsan aliqua influat, illiq; displiceat hoc cum comiter perferat, perge ad tibias, illas vel manu demulceto, vel virgula, vel stramine. Dein tolle a solo pedes. Nullum perde tempus, nec tamen festina nimium. Sat enim cito si sat bene feceris. Atq; vt de eleuandis pedibus aliquid dicamus: nihil nobis cum comi hoc, facile huic imperabis. Sed inexorabilis ille pertinax, iste tibi negotium faceſſet. Quare in istū asperior sis oportet. Egregia prauitas, pœnam egregiam postulat, ac quomodo prauus puer sic prauus equus, praue tractandus erit. Ita tamen cum hoc confligendum, vt qui in brutis eorum vitia emendare conantur: ipsi ratione carere non videātur. Non est irascendum, non infligendum vulnus, non incutiendus colaphus, etsi mordeat, qui lædat. Cauendum ne luctando caleſcat nimis, neue super asseribus corruat, atq; ita cum intus, tum extrinsecus illi damnum detur. Quapropter indaganda via quo pacto minimo illius cum periculo,

lo, posteriores pedes (nam ab his maius quam ab anterioribus discrimen imminet) capi possint. Hoc modo capies, stramentum satis abundanter sub pedibus strue. Deinde perizonium vt vocant, quo ephippium equo alligamus, habeto, vel latam telam de industria contexito. Huius alterum finem ipse manu ad præsepium tene, alterum asseribus relinque. Tum fac se vt moueat equus, ita vt inter posteriores pedes iaceat perizonium illud. Id quod quamprimum euenit: dextere sublimem tollat de asseribus iacentem finem is quem pone equũ ad hoc constituisti, & ad te caute ferat. Coniungantur fines, implicetur tela, ad pedem decidens prouidenter, ne illam excutiat equus. Sed pedem illa constrictum habeat. Quod vbi acciderit, & pedem tuto inuolutum habueritis: vi tollite de solo pedem, & retro ad vos trahite, ad coxam collocato qui una firmius illum teneat. Ac quomodo iste, ita & alter pes posterior attrectandus. Iam numellas vtrisq;, & numellis funes applicato. Pedem solo committe denuo, perizonium, vel telam de industria contextam amoue, nam officio suo perfuncta est, sed numellas, ac funes noli amouere. Hæc tibi quotiescunque à terra leuare pedem velis: adiumento erunt. (Hoc vero in dies sæpe agendum) Trahant itaque duo funem, tertius ad ilia astans numellam manu prehendat, pedem super femore locet. Manu, vel saxo percutiat. Quod faciliter, ac tute facere potest, quamdiu ad funem alii duo astent, eumque tendant. Equus si strenue reluctetur det merito pœnas. Noli tamen auere hæc omnia vno die vt fiant. Primum sufficiat, si lubens tollat ipse pedem, funem vbi traxeris, deinde si manu apprehendi numellam patienter siuerit. Tum si super femine locari non inuitus tulerit, postremo, si manu lapide, aut ferro, percuti, passus æquo animo fuerit. Ita gradatim procedendo, tandem id assequemur quod quærimus. Videlicet tractabiles vt fiant pedes, illos vt nullo negotio eleuare, nullo labore iisdem vt soleas ferreas affigere queamus. Hoc modo, singulis horis, à pede, ad pedem quotidie progrediens,

(nam

(nam diligentia opus est, prævalere si vis) plurimos equos domini, singulariter pravos. Semel domitum observa, ne obliviscatur fuisse se aliquando superatum. Sed optima ea via est, illos vt mature tractes, (hoc te monere sæpe nimis non queo.) Dum adhuc inviores pulli extiterint, plus enim iam facilitate, quam postea magno labore perficies.

Sequitur cũ mansuetior iã fuerit equus, cũ familiarior, cũ circa pedes tractabilis: vt de ephippio, & de frẹno cogitemus. Primum igitur (nunquam enim temporis fit iactura, licet longiusculum sumpseris, modo id consideratẹ) pannum illi offer, cum hoc, & dorsum, & lacertos terge, in tergo dein repone, & laxe cingito. Cingulum vero illi quam blandissime defer, delatum vel ipse sub vtero manu apprehende, vel alius tibi id adeo dextere porrigat, equum vt non offendat. Hoc panno postquam assuefactus fuerit, sellam stramineam lino opertam, vel ephippium quodcunq; aliud leue affer, nullo ornatu appendente. Sellam autem hanc vt pannum modo, suaviter admoveto, super dorso blande collocato, statim de tergo deme, ac iterum repone, Atq; hoc ter, vel quater. Tandem perizonio tam dextere, tam dulciter cinge, nullam vt inde offensionem accipiat. (Bis agendum hoc, in die, mane, & vesperi, ac sæpius si velis.) Tunc fac se moveat, fac cingulum movendo vt sentiat. Sed ita moveatur, ita cingatur, vt aut nihil omnino, aut parum admodum vel motus, vel cingulus displiceat. Hoc per biduum, vel triduum facito, & sella assuefacies, illam vt placide recipiat. Nunc antilenam, & postilenam vt vocant adde. Antilenam quivis equus non grauate admittit, sed qui postilenam recusent plurimi inveniuntur, ab hac illam apponentibus sæpenumero imminet periculum. Primum itaque, ephippio equum cinge, antequam postilenam attuleris, ita illud non excutiet, postilena licet illi injucunda. Tum postilenam affer, ab ephippio tamen separatam, quam caudæ non temere, sed consulto suppones, nates manu palpitando, eandem sæpe levando, ac iterum eam demitten-

do priusquam postilenam subieceris, quasi id facere, in animo non habueris. Quibus multoties peractis tandem postilenam caudæ submittere, ac ad sellæ fibulam annectere turo licebit. Longam autem satis esse postilenam oportebit. Sellam vero cum suis ornamentis, vbi in bonam partem acceperit: de freno cogitemus. Frontale igitur apporta, longum satis. Ante frontem nihil sit corii, atque hæc aurium gratia ne premantur, nam quo molestum minus, præsertim in principio frontale fuerit, eò melius. Quia vt circum pedes periculosus, ita circum caput in primis ab homine alienior est equus. Ad frontale frænum appone leue, dulcescens, quò magis placeat. Digito, & pollice os apperi. Frænum hoc vnam atque alteram horam gestet. Quo temporis spatio, ter, quaterne frænum & tolles, & iterum ad caput applicabis, vt equum illo assuetum reddas. Quotidie hoc, mane, & vesperi fiat. Prospiciendum præterea, ne vllo modo frænum offeras, caput si quo in loco sit lætum, hac enim ratione efficeres, vt semper frænum horresceret. Etenim pro ingenio suo iudicat equus, à fræno prouenire dolorem, quem sentit, dum id illum recipere cogis. Atque ita illi frænum facile offensioni erit. Quare suauiter hic in initio operemur, imo semper. Præcipue vero circa caput colaphos vitemus, nam quo magis displicuerint manus, eò inuite magis eas tulent equus circa os, circa oculos circa aures, vbi necessario sint oportet, illum frænare cum velis. Comiter igitur illum hic, & placide tracta, ac tandem aperiet os ipse suum, & caput (si qua sit bona indole) vltro in frontale intrudet.

Tantos vero in hisce progressus cum fecerit, vt soleas, ephippium, ac frænũ, ad voluntatem tuam recipiat: Proximũ est vt in illum ascendas. Id quod vt fęlicius abs te fiat, in equile, loco suo, vbi ad presepe alligatur: anteriorem, & supremam sellæ partem, sinistra prehende, dextra (ad alterum latus per mediam sellam extenso brachio) dulciter cingulum prende. Primum brachii solius leue sentiat onus. Secundò, à

brachio

brachio sentiat corporis aliquam grauitatem. Atque hoc sæpe antequam vlterius progrediare. Tertio, à brachio sentiat vniuersi corporis grauissimum pondus. Hæc vbi æquo animo patitur: bene cincto ephippio, sinistra priorem, dextra posteriorem illius partem apprehende. Tum in vicinam stapedem, ita pedem immitte, vt vterum non tangat, ac vt inde, si necesse fuerit possis cito illum eximere. Quæ quidem necessitas si contingat: noli tamẽ tanquam timidus ab eo fugere. Ita audacem nimis, ac rebellem, si audax sit efficies, cum te meticulõsum sentiat aut si timidus fuerit, magis timidum reddes. Audax si fuerit, aut timidus fugiendo nil boni feceris, sed maleuolũ in te reddes, ne in illius tergum ascendas. Quapropter ita stapedem sume, ac ita (si opus fuerit) denuo ab eadem recede, vt neq; timeas, neq; timere videare. Primum autem leniter, deinde grauius, genu latus premes ac sellã manibus apprehẽdens, brachii viribus ad eã totius corporis pondus eleua, sed in eam residere noli, donec ex ipsius oculis, & corporis familiari statione, ęqui boni eum facturum perspexeris. Semel vero vbi ascenderis, quotidie & sępe ascendendum. Est enim vsus optimus magister, porro omnem offensionem omnem metum amouet, ac familiarem reddit equum. Ita in stabulo suo equum domabis, antequam foris in eum conscẽderis. Si tamen res tibi fuerit cum tali equo, qualem breui tempore regere nõ queas, ac tibi nihilominus properandum fuerit: priusquam in illius dorsum ascendas: ita cibum illi suppedita, facile cum equitas vt spiritum ducat, ne fiat luctando ne ferociendo, suspiriosus. Tum ad frenum, valentem funem alligato quo in locum leuiter palustrem, vel in agrum noualem deduces. Adsit iuuenum auxilii satis, qui & vna equum ducant, & tibi opitulentur, vt in illum tutè ascendere possis. Si ascensum recuset equus, ad caput illius ipse proximus asta, tibi astent quos ad hoc constitues reliqui. Tenete omnes simul funiculum, eandem viam prospicite omnes. Acriter iuuenemini omnes in ipsos oculos equi. Circum vos qui illum agat.

donec patietur vt ad illius latus accedas, alius constituendus. Hoc vbi tulerit, ad frontale supra frenum, manum dextram admoue comiter, deinde proximo tibi astanti, & secundo etiam illud trade. Proximus dextra tibi auxiliabitur vt facilius in sellam conscendas, sinistra cum secundo equum retinebit. In sella autem posteaquam locatus fueris: etsi nequissimum se equum ostenderit: tu tamen ne repugna, neq; virga si vllam habeas, nec calce, sed tanquam stipes sede, nullam faciens, vel minimã offensiunculam. Si progredi nolit, verberibus vt cogatur illis relinque, quos ad hoc designaueris. A tergo autem illius ne recedas. quoad sternax esse conari, ac progrediendo ferocire desiuerit, ac placide procedere contentus erit. Quod vbi euenit, illi blandiendum & voce, & manu. At voce adeo summissa, manu tam molli, vt nullo modo timorem incutias. Præterea cum pulsum iam furorem, aut (in quibusdam) metum videris: de illius dorso descende, sed caute, atq; illi indulge. Tunc vbi palisper pedes manu deduxeris, rursus ascende, & hoc bis, terue, priusquam de campo discedas, iisdem auxiliis vsus, quibus vtebare cum a primo, in campum prodibas, ne sis vlla ratione temerarius, ne audax nimis, neue te deserere sinas pedites tuos, biduo, vel triduo (ni palã videas posse te id secure facere) quoniam si vel subitus timor, vel motus aliquis prauus, in animum ipsius inuaserit: hi tibi adiumento erunt. Ad hunc modum festinando, quam sapienter possumus demus operã, ne temeritate nostra, aut in morbum incidat equus, aut mores peruersos discat, qui potius dediscendi essent: Iam quamuis ad equum sellam, quamuis frenum applicaueris ac in dorsum illius conscenderis: haud inutiliter fiet tamen hic parumper acquiescere, antequam vlterius equitaueris, & nonnihil de equi dieta audire. Ita vbi tempus erit fælicius equitabis. Dieta igitur sit, quicquid recte, atque ordine fit, tam in campis, quam in equili, ad illius sanitatem conseruandam. Ac vt ab equili ordiamur, & primum a cibo (nõ de loris, de numellis, & id genus aliis, iamdudum auditis.)

ditis.) Victus illius est gramen, fænum, stramen, frumentum. Da illi fænum purum, nullo mistum stramine, aut nunquam, aut cum macer admodum sit, aut in anni fine, eius initium faciens autumnum. Post messem quam cito habere potes da illi stramen. Nam quo recentius, eò succi plenius, eò suauius, eò magis nutrit. Triticeum autem sit stramen oportet. Hoc pasci puro stramine ad finem Nouembris poterit. Tum quoniam aliquantum iam aresçit stramen misce fæno. Fæni vnũ straminis tres manipulos dato. Sic pasce ad Martii initium. Nunc quia adhuc aridius stramẽ, misce illud cum fæno æqualiter, ad Iunii principium. Dehinc dum nouus messis erit, aut purum fænum, aut fæni maiorem partem pro equi conditione subministra. Iam enim siccum nimis stramen, vrit intus equum, quod ex plurimorum stercore apparet, quod paruulis, ac iis dnriusculis pilis, ab illis decidit. Sint fæni, & straminis paruæ fasciculæ. Ita quam fieri potest minimum fæni spoliabit, & eas maiori appetitu edet, si inter fasciculas respirandi tempus detur. Attamen in Iunio si iis carere possis tempus esse videatur castratos pascuis committere, reliquis in equili gramen dare. Detur autem illis in equili gramen spacium vnius mensis. Sin esse hoc satis non arbitrere, at quinque septimanæ sufficient. Nam etsi quo diutius herba vescatur equus, eo magis corpus purgat, & pinguior euadit, nec ex longo otio quid detrimenti capit, quòd nullus inueniatur pastus, qui æque bestiarum stomachis conueniat, atq; gramen: nihilominus tamen quoniam quinq;, imo quatuor hebdomadis, satis bene pasci equus possit, si tener, & dulcis herba sit, ac diutius in stabulo herbam suppeditare, fæni inopiam fecerit, multos si paueris equos, id quod in fænile sequenti hieme apparebit, ni pratorum magnam copiam habueris: sit satis quod sufficit. Stent & iaceant in stercore suo sordidati. Conducere hoc opinio est, illorũ vngulis, ac tibiarũ articulis. Ego cõtrarium non inuenio, nec illud ipsum. Equile semel in hebdomada mundm facies, ne & oculis, & naribus offensionẽ nimiam

afferat. Porro singulis septimanis ante ostium laua equos, ne sordes illæ, terga, lumbos, latera, (& quid non?) glabrent quod vsu veniſſe frequenter vidi, cum diutius induruerint fæces hæ. Nam quemadmodum humor ille calidus vngues & articulos mollit, ac neruos nutrit, ita pilis diu adhærens, adeo ad illorũ radices penetrat, vt inde ablui nequeat niſi vna decidant pili.

Cum gramine da auenam, quo melius nutriantur equi, ſed non ea quantitate qua ſuppeditare ſolebas, cum, fœno ſolo, ſtramine ſolo, aut fœno & ſtramine ſimul paſcebas: ne tertia quidem parte. Vetus mos eſt vbi a ſordibus remouere equum vis, nec ad eas amplius reuerti: ad propinquum aliquem fluuium equitare, eundem innatare, a luto ibidem illum expurgare. Caue itaque ſi hunc ipſe morem ſequi velis, ne ſi inter equitandum ſudauerit equus, in riuum illum incites, præſtabit enim ſordidum reducere domum, quam dum mundus eſſe ſtudes, dare damnum equo. Sed antiqua magis, quam ſalutaris conſuetudo hæc, quoniam hinc afferri equo detrimentum poſſit. Mihi melior ea purgandi via, de qua paulo ante, vt ad ſtabuli oſtium, quiſq; curator ſuos equos ſingulis hebdomadis lauet. Inde nullum damnum fit. Laua genu tenus, & non infra, partes enim illæ inferiores tempore ſatis oportuno mundæ fient, cum per aquas, & vias lutulentas equitaueris. cadant igitur ſordes illæ per ſe. Vbi vero gramini valedixeris, ad fœnum redis, da fœnum itaq; ſi habeas vetuſtum, ſi non habeas nouum cum ſtramine bene commiſtum. Aqua etiam perſperge, ne poſt humidiorem paulo ante è gramine paſtũ, ſubita in fœno ſiccitas tuſſem concitet, quomodo panis aridior, & caſeus vetus, ac ſiccus nimis, in multorum hominum gulis tuſſem mouent. Tali cibo veſcatur equus donec recens, ac ſuaue ſtramen acquiras. Quemcunque autem ſuppeditaueris cibum, ſuauis ſit, & mundus, ſine pluma, ſine puluere, ſine ſordibus. Mundiciam enim amat in cibo equus, & ſi quando curatoris negligentia, quid turpe comederit: faſtidit

dit deinceps comedere, quoad delutum bene os, & fastidiũ illud penitus abstersum fuerit. Pręterea puluis, & pluma alunt tussem, tussis maiorẽ sæpenumero calamitem. Planè, vbi abdomine languidum, a gramine amoueris equum: caue ne vllo modo agites, vel docendo noua, vel repetendo quæ dudum didicit, dum attenuatum, & ad rem imminutum corpus erit. tempore diurno non cubet, ni longa itinera feceris, citius ne defatigetur, cum laboribus incumbendum fuerit, porro ne ex requiete quam illi interdiu concedis, molestior noctu, & consociis sit, & etiam curatori. Nox vbi aduenerit integram iaceat, dies cum longæ sint, cum breues, ad horam octauam cohibe. Tum pro arbitrio suo requiescat, vsq; eo dum aut equitare vult eques, aut illum curare velit equiso. Lectum illi sterne, e tritici, aut secalis stramine, tempestate frigida, & cum multum laboret, vsq; ad genua, aere calido, ac vbi requiescat, tantum modo sufficiet straminis, quantum cutem a tabulatis, & a sordibus tuebitur. Tegumentum nullum corpori dato, nam reddit equum mollem, & in itinere impedimento tibi erit, quo vti in bello cum maxime opus fuerit, minime possis. Nec prodest quicquam nisi ad cutis mundiciam, quæ quidem sine tegmine satis nitida fiet, diligens si illam curator terserit. Iam peruenimus ad vltimum cibi ipsius genus, videlicet ad farraginem, qua vesci illum oportet. Farraginis autem optimum genus auenam iudico. Quia & exiliter, & tamẽ bene satis nutriunt auenæ, ac vbique apud nos facilliter comparantur. Bis die æquabiliter da auenam, tempus si detur, sin minus conceditur, plus simul dato, tantum vno tempore, quantum duobus temporibus dedisses si spacium fuisset. Præsertim si illam deuoraturum equum arbitrere. Quantitas iudicio tuo, & facultatibus relinquenda. Quandoq; enim maior prodest, aliquando minor sufficit quantitas, pro valetudine equi, ac illius robore. Nonnunquam etiam tam abundanter auenam acquirere nequimus, quam illam equis suppeditare vellemus. Aliquando auenæ ingens copia, ast pecuniæ forsan inopia. Id

quod si vnquam accidat: habeat tamen quilibet equus aliquam partem, maximam vero qui maxime indiget. Sin me proportionem præscribere velitis, si non defuerit facultas, mediocris staturę equis modii quarta pars singulis diebus sufficiet, maioribus huius quartæ medium adde. Castratis maioribus, quotidie modii quartam partem largire. Minoribus hebdomida modium, ac eius quartam partem submini-stra. Exigua hæc quibusdam videatur proportio, at magna satis equis in ocio qui viuunt. Quos aut raro, aut nunquam equitamus, nisi illos exercendi gratia. Nunc autem quod ad illorum habitum attinet, spiritum vt facilius ducant, sunt exercendi. Neque est hoc diætæ minimum membrum. Mane igitur præcipue equitandum, cum aut noui aliqui' docere, aut quod dudum didicerit repetere illum velis. Ieiunus igitur de equili prodeat, ventre a cibo, & potu vacuo. Pomeridiana equitatio cum hac comparanda non est. Nihilominus tamen si seruus cum sis negotio obrutus, necessario tibi equitandum fuerit, aut magister voluptatis gratia post meridiem equitare vis: ante meridiem de equo tamen cogita, vt quam fieri potest inani vtero foras exeat. Duas aut tres horas antea frænum mandat: aquam aut non omnino, aut parum admodum idque prima luce bibat. Hoc age, si excitare illum, si agitare multum, in animo habeas. Alioquin si pedetentim equo vehi decreueris, hunc vt via assuetum reddas, ille vt modica exercitatione facillius exhalet: hac solicitudine opus non erit. Quamuis nec hic, nec vllibi obest ad bonum finem suscepta cura. Tempus antemeridianum vobis commendo, potius quam postmeridianum dum excitare equum vultis, quod auroræ refrigerationem, meridiei calor sequatur, (modus a noxio frigore seruandi equum.) Meridiei calorem, vesperæ, & noctis frigus consequatur, (via si incaluerit equus illum efficiendi algidum, ac frigore laborantem.) Neque est vlla tam calida aurora, vt non sit calidior meridies, nec tam frigidum post meridianum tempus, quin frigidius vespertinum atque nocturnum.

Proinde

Proinde vt in proposito nostro permaneamus: quandoquidem desudanti, prodest sequens calor, obest vero frigus: nec cum vllo licet ignauo concertare, nec vllum exercere animosum equum queamus sine illorum multo sudore: præstabit meo iudicio matutinum, vespertino tempori. Sed tamen siue diluculo siue vesperi equo vehamur: summa res in nostra diligentia posita est, vt salubriter refrigeratus ad equile redeat equus. Monebam præterea vt ieiunus è stabulo educeretur. Nam quo inanior ventriculus, eo laborem perfert diutius priusquam sudauerit equus, & cum desudauerit minus nocebit sudor. Seu mane, seu post meridiem equites: primo pedetentim, deinde festinantior succusset equus, horæ dimidium, vel integram horam, imo longius, aut breuius tempus, prout equi halitus requirit, antequam illum vlterius prouocaueris: si hoc per alios equos licebit, quos æque atque hunc tractare te oportebit. Nam si vacuum à cibo corpus sit, si facile spiritum ducat equus, antequam valde concitaueris: & agiliorem, & procliuiorem, ac potentiorem etiam inuenies, ad omnia quæ expetis. Porro vacuitas hæc, & spiritus facilliter ducendi præparatio diligens, ad halitum conseruandum plurimum cõducit, præsertim si magnum illi ac præcipitem laborem imposueris. Ne vno, & eodem tempore equum nimis concita, neue coge, vt ex imis pulmonibus vix spiritum ducat. (Id quod facere potes etsi liber satis halitus sit, tusi illum illiberaliter tractaueris.) Sed moram potius laboribus interpone, cum non placeant quæ agit, ac sæpe obiurga, vt se displicuisse sciat. Nec discedes ab hoc loco, sed sensim hic progrediẽs, decies, vicies, aut quoties par erit frænis circumages, sæpe interim asperius appellando, ac cædendo virga, ne ex requie voluptatem capiat: sed in memoriam reuocet se peccasse, & peccatum emendare meditetur. Nunc autem iterum, atque iterum proba, quo ad (sed ne quid nimis) propius ad illud accederit, ad quod peruenire illum cupis. Quod si accidat, in bonam partem est illud accipiendum quandoque, licet non plenè

præstiterit, quæ expectabamus. Nullo modo cum equo excandescendum vllo tempore. Nihil bene irati facimus. Animi perturbationibus à nobismet abducimur, in ira haud facile equum castigamus sine illius detrimento. Nam irati tum manibus, tum calcaribus immoderate abutimur, immodice equum agitamus, & illius salutis obliti, & rationis, cuius aliquando eramus participes. Vbi labori finem imponendum duxeris: si desudauerit equus refrigera, sed ne repente. Quapropter in manu ne pedes ducito, nisi te mouere ocyus decreueris, sed equita potius, præsertim si magnum fuerit frigus, nonnunquam pedetentim, aliquando celerius, dum ne vnus in illo pilus reperiatur humidus. Iam vero si de illius dorso velis descendere, & pedes illum domum deducere, ne rursus caleat (id quod à multis equis fœrocioribus fit, cum redire se, ac ad equile appropinquare animaduertunt:) soliciti, & diligentis equitis officium tuebere. Cum ad equile redierit, stramine oppiletur. Aut dense, aut rare, pro aëris temperamento. Ne prorsus stet nudus, quanquam foris omnino non sudauerit, molles enim, ac imbecilles quidam equi, tempore feruido, imo aëre nonnunquam temperato, in stabulo collocati, vel sellæ solius pondere sudabunt etsi eò corporibus temperatis deducantur. Qui, postea si nullo modo à frigore defendantur, dum ad præsepium alligati poris apertis astent: aliquid damni vt capiant verisimile est. Neque cibum neque aquam dato, spacium vnius horæ, si aut multo sudore, aut labore magno defatigatus fuerit equus.

Sin iter longum facies, non est in omnibus hæc obseruanda ratio. Nam equis quos tecum in itinere ducis, primum omnium dent curatores aquam, tum pectant, atque extergant corpus. Dein auenam suppeditent, inter aquam, & auenam, cum domi, tum in itinere, si tempus detur, aut integra hora, aut horæ tres partes interponendæ. Alias si aquam & auenam simul subministraueris, facile sudantes, languidos, ac ventre nimis laxos reddes. Quamobrem, & hic, & alibi, optimus

mus erit ipse dominus equorum curator, si ita mane ingrediatur iter, vt tempore opportuno ad diuersorium, aut hospitium peruenire queat. Sic enim quibus cum equis, res est, spacium habebunt, negotii sui ordine agendi, requieti satis in proximum diem ipsis equis concedetur, & potestas etiam dabitur affatim illis cibum suppeditandi. Abunde inquam, quia si in his ventriculi illam vacuitatẽ expectaremus, quam illis vtilem esse diximus quos paulo ante exercitationis solius gratia equitabamus breui tempore lateribus, & iliis cauis, macros nimis conspiceremus. Quare vbi te biduum, aut triduum in viam dederis: edant hi vsq; ad saturitatẽ, dum ipsum frænum applicaueris. Tantum primo progressu pedetentim vnius milliarii interuallum, & amplius equita, quod itidem in fine diurni laboris obseruandum exopto, vt bene refrigerati, ad diuersorium veniant. Ita nec fallacis stabularii, nec infidi curatoris ope indigebis, qui illis anteambulent, corporibus vt temperatis in stabulo locentur. Nulla vero tempestas tam periculosa, quam pluuia, qua cito calescunt equi, & necessarie in equile quomodocunque intruduntur. Quod quidem equile stramento genua tenus stratum esse debebit. Quo elaboret quisq; curator suæ fidei commissos tres aut quatuor equos. Dorsa, vteros, tibias, & inter tibias detergat, parum straminis super terga dispergat, ac iterum ephippium imponat. Stramento dense, vel leuiter pro aeris temperie latera, & ventrem muni. Tunc pedes a luto, a lapide, a spina, a ferro, aut ab alia re quacunq; damnum inferre quæ posset purga: soleas, ac sellam contemplare. Agendo hæc horam ferè consumsisti. Fræna igitur detrahe, ac fænum dato. Post horæ dimidium da & aquam, ac si festinatione opus sit, si concubia nox, horæ tribus partibus interpositis da auenam, alioquin si detur facultas, sume longius tempus. cæna prius, ac deinceps auenam defer. Ephippia tolle, terga, latera, vterum & alia mẽbra quomodo paulo ante frica. Postremo lectos illis stramine abundanter strue, vt molliter iaceant. Nunc vero si

viris generosis, qui multis famulis stipati equitare solent, consilium dedero, vt seruos prius in equos conscendere iubeant, quam ipsi conscendunt, (qui quidem semper patris mei mos erat) vt optimos, & ferociores quosq; equos ante se habeant, vt alium constituant qui sequentes famulos regat ne longius vagentur, aut cum poculis maneant, si hoc inquam consilium dem: non longe ab instituto aberrabo. Quandoquidem modus hic sit nonnullum equum conseruandi ne malum accipiat. Vbi segniores, qui vix parati ad suos equos essent, cum ipse dominus equum conscenderit, vbi bene poti, qui adhuc Sextarium libenter cum hospita biberent, euocabuntur, & cum consociis vna ire cogentur, & dominum incitato cursu sequi necesse non habebunt. Iuuenes officium iuueniliter colunt neq; semper seniores sapiunt, muneris obliti sui. Propensiores ad voluptatem sumus, & in iis quæ ad mollitiem, & ad gulam pertinent facile peccamus omnes. Denique vt tandem huic sermoni de dieta finis imponatur: primo lente progredere, postea ne nimium festines, caue equum quomodo verberibus cædis; calcaribus ne abutere, ne illa nimis adhibe. Ne vlpiam plus æquo morare, quod cito facies in aqua, in luto ac in locis palustribus. Ne equites vbi probabile fuerit, facturum te equo damnum. Sudantem refrigera, at ne acceleres. Corpore temperato equili trade. Hæc facias, & tua culpa nil detrimenti patietur. Se non coactus, præcipitem dare poterit, labi, titubare, porro noxium quid & id absconditum pedibus calcare, ac ipse sibi damnum inferre. His & similibus infortuniis quis repugnet? non sunt hæc equitis culpæ tribuenda. At leuia hæc, quæ in hoc capite continentur, videantur omnia, in complexu fere cuiusq; periti curatoris. Nihilominus tamen quoniam minima vlli contemnenda non sunt, qui in maximis excellere velit: ac minimorum scientia, ad maxima bene præstanda adiumento erit, neque docet libenti animo quiuis magister: non piguit, in leuioribus parum operæ consumere, vt leuia hæc, vna cum iis quæ

plus

plus ponderis in se habent, ab illis percipiantur, qui ea nouisse auent. Præcipue cum hæc sine illis bene perfici nequeant.

De Equo frænando. Cap. 4

VBi ad hanc perfectionem equum perduxerimus, vt æquo animo sellam, frænum, ac soleas admittat: cumque ipsi nouerimus, quomodo & ad labores perferendos, & exercitationes domesticas, pascendus fuerit: equitandi tempus esse videatur, cum ad assuefaciendum illum via, tum ad docendum alia. Quod omnino fieri non potest nisi capiti aliquid imponatur, nec bene, nisi in os ferrum inseramus, nec artificiose sine freno, eoq; absoluto, & perfecto. Quare huic loco vbi equitare incipimus, & quem nunc tractamus, nomẽ sit ratio frenandi equos. Communiter itaque equum frenamus, ne magis festinet quam ipsi volumus, vt se sistat, ac vertat, cum imperamus. Atque ad hunc finem fræna iniiciunt plerique omnes. At peritus eques adhuc plura quærit, frænum adhibendo vt decenter etiam, ac leuiter caput ferat equus. Id quod facit, qui equitis non onerat manum, qui collum decore inflexum, caput supra pectus elatum, frontem, & aures antrorsum, nares vero introrsum paululum, pectus versus portat. Hoc operabitur fræno eques, sub mento retinaculo, ac habenarum artificiosa tractatione, pro cuiusq; equi qualitate. Frenum autem appellemus non oream, non stomium solum, sed vniuersum illud ferrum, quo optime equo imperamus, nempe & quod in ore latet ferrum, & quod illi annexum, inferius longe pendet. Sed antequam ad frænum hoc absolutum peruenimus, primo equitatu, antequam perfectionem hanc expectamus: interim dum satis esse ducimus vt nos libenter equus ferat, vt progrediatur, vt maneat, vt se vertat licet otiose, quando iu-

bemus: quidam ferro solido nasum circumdant, quidam torquem annulis ferreis intortam in nasum ponunt. Nonnulli vtuntur orea, quæ ipsa & mihi placet: cum ferreis illis tormentis, mihi nec hic, nec vspiam deinceps res erit, cum animaduertam posse me sola orea expeditū satis reddere equum generosum, vel festinanter dum gradior, vel dum adhuc celerius paulo illum agito. (Orea vero sit quod græce χαλινὸς, ferrū in os equi insertum, & in ore absconditum, nulla extrinsecus ferri appendicula, cui inferius applicentur habenæ.) Quanquam non hoc nolo, vt huc vsq; sola orea cum equo progrediare, ne si diutius cum illa equitaueris, stabile minus, at vacillans nimium caput in posterum reddas. Sit orea plana expolita, ne bucculam dilaceret, dulcedine quadam vncta, vt delectet, ac ad illam mandendam prouocet. Atq; principio dum equitamus, vt via equum, & equire tantum affluefaciamus: sufficiat tenuis hic apparatus. Vbi sella, vel ephippio stramineo (horū enim vtrū mauult eligat eques) in agrū nouale, vel pratū humidius. Vbi parū in terrā immergi pedes queant, deducatur. Hoc caute in ephippiū ascēde, q̄ male possit accidere suspicans, nam ita optime tibi in periculis cōsules. Quam ob rem qui tibi ad conscendendū opitulentur, qui equuū ducant, & si repugnet, si nauiter renitatur, illū vi retineant, ac illius furorem reprimant: habe tecū tres, aut quatuor iuuenes, prout robur, & furor equi postulauerit. Hi si quam bene te in sella continere potes, experiatur equus, adiumento erunt, sin tibi obsequentior fuerit, nunquam tamen repudiandi sunt, qui opem, & auxilium ferant. Hac orea, & ephippio stramineo ornatum, vt paulo ante monuimus: equita donec & te, & viam cognoscat, vlterius hoc ornatu ne procede. Sed iam potius ad frænum, de quo hoc loco tractamus, veni. Primum igitur frænum cuiuscunque ingenii, vel naturæ equus fuerit, sit quam molle, quam tenerum inuenire queas. Est autem illud, quod anglice *A canon* appellamus. Hoc quomodo orea, sit gustui dulce. Ac præter habenas quæ in infimo fræno

pendent

pendent, adde supra, ad stomii oculos lorum. Id quod manibus tenens, laxis habenis, quasi orea sola equitares, caput equi reges, sub mento vt retinaculum non sentiat. Cum sic quartam, vel milliarii dimidiam partem equitaueris: vt tandem retinaculum sentiat: alteram suauiter ad habenas manũ admoue. Sed illas caue ne diutius teneas in initio illi molestus fortã ne sis, ne retinaculi illum tædeat, ne caput quasset, & os suum rumpat, sed eo potius illum paulatim assuefacito hoc modo. Perquam modicum interuallum, adeo leuiter tene inferiores habenas, retinaculi vt vix sensum capiat, tum ad lorum superius redi, dein iterum ad habenas descende. Atque ita sæpe, breui, vel longiori tempore, manum commuta, vt dabitur occasio, vt videris placere vel displicere equo retinaculum, nam tarde nonnulli, alii primo quoque tempore illo assuefiunt. Ad hunc modum hebdomida ad minimum retinaculo hoc equum assuefacito, ac diutius, si cur id facias sit causa. Tandem solis inferioribus habenis cohibe, horę dimidium, vel integram horam. At suauiter tamen quandoq; illas remittens, frænum vt boni cõsulat, ac videat non esse se perpetuo in carcere. Ita ori indulgendo, dulciter in officio illud retinebis, manus duritie non obtorpebis, mento corium non teres, & tamen paulatim ab habenis aliquid lucrando quotidie, decore tãdem collum inflectere coges, & caput quo vis, si id equi natura ferat perduces. Porro, cuius fere oblitus eram, sunt in ore equino duo dentes, quolibet latere vnus, remoti paulo a primoribus. Supra hos admonendi sumus vt pendeat frænum, ita vt penè, sed non penitus ad illos pertingat, licet quo inferius in ore pendet frænum, eo maiorem ex illo capere voluptatem equum, possit videri: quia quo inferius pendet, eo facilius flectitur caput, pectus versus, equus immorigerus ni sit, imo inflectet vltro os equus ipse suum, & frænum sedulo mandet. Sed tamen ne adeo hoc tibi placeat nimis vt frænum dimittas, præstaret altius suspendendo peccare. Nam huic nullũ, inde magnum imminet periculum.

Nimium demitendo, vel dulci satis manu, os equi frangere, & si os tenerum fuerit, equum supinum facilliter in te conuellere queas. Præterea nimis demissum frænum, caput nutans nimium, progressionem impeditam efficit, adeo vt cum progredi debeat, se sistat equus quandoq;. Quare hic curiosus sis, vt nec alte, nec demisse nimis pendeat frænum, sed ita, vt cum quam potest maxime, caput inflectendo illud demittat equus, ad dentes tamen illos, de quibus paulo ante, non pertingat, ne digituli quidem in summitate mediam latitudinē. Atq; hoc etiam in veteri corio, nouum enim citius quam expectares, pluuio præsertim tempore dilatabitur. Si hac tractione, atq; vsu collum decenter inflexum gerat, si capite manum non oneret: cum illo vlterius ne contendas, neue frenum cum duriore commutes, plausibilius si vis, quod magis delectet elige, quale est illud, ex annulis pluribus, sed iis latioribus confectum, canone propter annulorum volubilitatem suauius, ac parum, aut nihil durius. Sin displiceat eius (vt ita dicam) frænatio, si minus decore videtur: habes adhuc plura quæ tibi adiumento erunt. Nimirum ipsam oream, fræni partem inferiorem, fræni retinaculum, & habenarum artificiosam tractationem. Qui vero habenas perite tractare nouit, recte, at non alte supra armos, ad se illas adducit, primo leniter, dein quotidie strenue magis, donec tandem vsque eo manum deduxerit, quo opus erit, quo desiderauerit. Ibi firme tenens manum, nec remittens, nec ad se illam trahens, modico interuallo equitat, semper cum intermittere gressum equum videat: illum virga, tibia, vel voce, comiter promouens. Nunc autem ne penitus de libertate desperet, & aliquid mali de duriori hac manu concipiat: longe manum demittit, ac hoc quidem subito, equum tamen in eodem progressu retinens, nec concitato, nec remisso magis, & ilico manum placide, ad pristinum locum resumit. Atque ita equitando lucrabitur eques semper aliquid temporis indies, vbicunq; habenas laxauerit, dum tantum lucratus fuerit, tam bene durio-

re

re hac manu assuetum equum reddiderit: vt demum, ipse laxandas habenas arbitretur, priusquam id equus postulet. Præterea qui artificiose habenis vtitur, manum aures equi versus, à se pedis fere longitudinem remouet. Quod nuper plurimos feciſſe equites vidi. Nouum hoc equitandi genus non potui non admirari. Nihilominus tamen, quoniam qui equitabant, artificiose negotia sua peregerunt: cum redeo domum, imitari illos aggredior. Ac bene, & perite factum ab iis comperio. Hæc manus nonnihil equi caput subleuabit altius, æque collum rotundat, & adeo tractabilem equum inueniet, atque illa prior. Porro non tam cito displicebit, non tam cito os franget, nec mento cutem tam cito teret, præcipue si rudis sit eques, propterea quòd non adeo maxillas stringit. Rursum hæc manus si cadere illam sæpe sinas, si laxare habenas sæpius velis: melius equi obstinati caput, quam illa strictior formabit, & brachio summopere leuamento erit. Ratio est, equus peruersus, ac maleuolus, premit continuo manum, quia non modo superbia in equo desideranda caret, nec vlla bona indole præditus est: sed etiam melancholia refertior, rebellem semper animum aduersus manum gerit. Non est itaque hic semper arcte refrænandus, ne quidem vsque eo, vt collum inuitus inflectet, nam ita (cum continuo manui reluctetur, stupidas, & quasi mortuas maxillas reddes, retinaculum omnino non subsentientes, licet in ipsam carnem per cutem inuaserit: caput vero quasi plumbeum, magnum onus brachio dabis. Id quod si colludat cum capite manus, si sæpius illam abs te remittas: non tam cito accidet, quia non tam immature excandescet equus, & propterea non tam enixe contra manum luctabitur. Fateor tamen quatuor, aut quinque horarum spatio, (vtere quacunque vis manu) grauaturum eam illum nimis, attamen non tam cito indulgente hac, quam illa duriore. Præterea equus ipse gentrosus, ac ab ipsa natura decenter ferens caput, sed ore aliquantulum confidenti: nec succussans, nec paulo plus festinans, (*neither trotting, nor galloping vpon the hand,*)

hand,) tam comiter inceder, nec tam placate, tamque facile ſuccuſſaturam cum maiore feſtinatione commutabit, & contra. (*Neither will he change from trot to gallope, and from gallope to trot againe ſo quietly*) Non tam familiariter inquam, non tam quiete hoc faciet, manu illa ſemper coercente, quam remiſſa, & benigna hac. Præſertim ſi aut timidior, aut furioſus magis fuerit equus. Quia ludificans, & inconſtans hæc manus, ſecuriorem equum reddit, ac hæc manus vbi ad te illam ducis, magis eum monet nimiæ feſtinationis, quam ſtrictior illa, quam continuo firme in eodem loco immotam tenes. Vtranque igitur manum comprobo, ac ita, vt (quomodo mea fert opinio,) res ardua, ac difficilis fuerit, diſcernere vtra melior extiterit, ſi quis, illas ſine præiudicio, indifferenter probauerit, equo bene inſtituto, ac capite ſtabili, primùm illa manu eum aſſuefaciens, qua ante aſſuetus non erat. Ego tamen antiquum illum fræni tractandi morem libenter huic nouo anteponerem, cum quia peruetus ſit, tum quòd decorus magis, ac ab hoſtibus tutior, quam hic nouus, vbi non ſine periculo inter inimicos à corpore tam longe emittitur brachium. At cum ſit laudabilis vtraq; perpauci alterutra vtuntur bene.

Vt tandem igitur, quò decreuerit, perueniat oratio: perita manu, (vtram harum mauis accipe, ſiue illam recte ſupra armos, ſiue hanc extenſam longius:) equum pedes centum, aut ducentos retrahe, ac eadem manu habenas omnino nihil remittes, progredi vſque eo coge, vnde eum retraxeras, primo pedetentim, dein celerius, Id eſt, *At the firſt ſoftly, then his full trot, afterward his gallope vpon the hand as wee terme it, and ſwifter gallope.* At non primo die hæc omnia. Hoc vero efficere vt retrocedat equus, ſatis negotii cum quibuſdam habebis, alios nullo negotio docebis. Nam quomodo hominum, ita equorum, & reliquarum beſtiarum varia natura, alii enim aliis tum volunt, tum etiam imbibunt citius quæ doces. Aſt ſiue nullo, ſiue magno labore fiat, cum negotium ſuſceperis, perageudum erit. Docilem equum, ac tractabilem, ipſe habenas

benas ad te paulo fortius attrahens, regredi paſſus tres, aut quatuor compelles. Quibus, licet paucis, in initio contentus ſis oportet. Sin habenarum attractio ſola non ſufficiat: ante oculos inter aures virgam porrigens, naſum illa tange, vna, retro, clamans. Quamuis enim à primo non intelligat temporis progreſſu tamen, hoc verbum quid ſibi velit, addiſcet. Obedientem itaque, & aliquantulum intelligentem quid velis, cum vides, id quod apparebit ſi ad pedes referendos paratior ſit, cum bacillum videat, & habenarum attrectatum ſentiat: tum inquam illico de tergo illius deſcende, & manu huc atq; illuc in eodem loco deducito. Ita illi in primis gratificabere, hoc indulgentiæ genus præcipue illi placet. Iam vero rurſus in illius dorſum conſcende, ac vt prius denuo retrogredi, bis, terue coge, quolibet tempore paſſus duos, aut tres lucrans. Atq; hoc ſæpe aſcendendo, ac deſcendendo, fac. Hac ratione & via, plurimos vna aurora, ad meam voluntatem equos paratiſſimos reddidi. Nihilominus tamen ne obliuiſcerentur, ſed habitum potius acquirerent, ſex aut ſeptem dies equitare ſoleo, quotidie in illorum memoriam hanc lectionem reuocans. Imo integros annos quotiſcunq; equitabam, hanc repetere lectionem illos iubeo, tantum in eo boni reperiebam, adeoq; delectabat videre beſtiam, contra atq; illius natura fert, retrocedere, mihi vt obſecundaret. Ac meo quidem iudicio nunquam ſe totum hominis voluntati dedit equus, dum hoc præſtiterit. Ita generoſum, & docilem equum, facilliter, vt optas formabis, at ruſticum, hebetem, ac renuentem, non ſine labore domabis, non ſine periculo, & equo, & ipſi tibi. Ad hunc modum cum illo age. Locum planum, & latum elige, ſiccum, ne labatur, abſq; colle ne quid illi impedimento ſit, ac ita vnũ altero pede facilius lædat. Abſq; alia quacunq; re, quæ illi damnum dare poſſit. Præterea ſi declinans parum terra fuerit: eò æquali præſtabit, quod liberiorem poſterioribus pedibus receſſum largietur. Nunc medio fræno, per duo illa foramina quibus o-

rea, aut stomion ferruminatur, religa funiculum, huic duos, aut tres, aut quot satis multos esse iudicaueris, ad equum retinendum, ac illius furorem reprimendum, designa iuuenes valentes, ne te quo libet per campos vehat. Eadem via stent, & spectent omnes, ne vnus contra alium trahat, sed vires cõiungant. Semper vel ante equum progrediantur, vel illi pares sint, diligenter vero, ne retro veniant, caueant. Sit funis longus, vlnas hominis quatuor, aut quinq;. Nam quo remotiores ab equo distent, eò ad illum coercendum, plus valent. Vnus tamen propior astet oportet, finem vt gubernet, ne cum equum, tum equitem irretiat. Præter hos qui funem prehendunt, accersendus est & alius, qui ob oculos equi bacillum, vel virgam teneat, qua illum cædat, cum iubes, Ita paratus in equum ascende. Et quia viribus certare cum illo, non prodest: leuiter ad te habenas trahe. Astet ante te, ad equi faciem, qui baculum gerit, illum vibrans, eodemq; si opus fuerit equum percutiens, quo loco iusseris, at in initio molli brachio, postea robustiore, si id equi contumacia postulet. Nam retrocedendum illi, siue id æquo, siue iniquo animo tulerit. Quare ad hunc finem, haud inutile erit, catena ferrea nasum circundare, quò ictus, magis doleat. Si pauci igitur, iiq; leues ictus non sufficiant, plures, eosq; grauiores dato. Sudorem illius ne respicias, neue furorem metuas. Sed ea corporis habitudine, tam libero illius spiritu, aere adeo temperato, cum illo cõtende, vt haud faciliter, (licet illi tantos labores imposueris) damnum facias. Aerem pedibus anterioribus verberet, posterioribus humi iaceat, saliat a terra quam alte queat, nunquam quietum tamen sine, dum tandem solius baculi aspectu regrediatur. Hanc victoriam quamprimum consequutum te animaduertis: remoue a te paulo longius, qui bacillum fert, ibi baculum suum agitet. Tu habenas molliter vt ante, aut paululum fortius trahe. Si recedat equus bene est, illi blandire. Sin minus, iterum ad te baccilliferum reuoca, baculo nasum vt feriat. Ad hunc modum sæpius proba, donec demum

mum,tui ipsius virgæ intra oculos conspectu, se tibi dedat. Sæpius inquam proba,iterum enim atq; iterum probandus. Nam donec penitus deuictus fuerit,iã obtemperantem,mox repugnantem habebis. Quare cum pareat, illi gratificare, cum reclamat det pænas. Ac propterea ne te deserat qui baculum fert,quandiu illius opera indigebis. Et tandem nec tua virga,nec astante baculo iuuante,leui sola manu,vt vis retro ipse ire compelles. Sed alia hæc via longe melior. Deme de collo equi habenas. Dextra tene fines superiores,leuam ad inferiores,fræno proximos admoue. Mentum retinaculo solitò paulo strictius comprime: leua retro trude,in principio comiter. Id si non sufficiat postea seuerius, vna aspere clamitans retro. Si neque hoc satis erit: virgula quam cum habenis dextra tenes,aut humeros verbera,aut nasum percute. Sed propriæ vires forsan non sufficient. Hoc si contigerit,accedat & alius, qui tibi astans,pariter ante oculos equi bacillum vibret,& si opus fuerit dum tu equum detrudis virga eum cædat. Si regrediatur quamuis indecore equus,in bonam partem accipiendum tamen,ac vt proficiat, sæpius ad eundem locum reducendus,& rursus vt regrediatur cogendus donec decore,& expedite retrocedat. Hoc autem biduo aut triduo operabere. Cum hoc modo pedes equum domaueris,in sellam conscende,habenas ad te trahe. Virgam ante oculos intra aures demittens ostende, eademq; si mereatur percute,primum modice,dein asperius. Verum si ita pedem referre nolit,adueniat cum baculo qui prope stat. Apponat habenis manum,equũ retrudat,baculum vibret, ac si id equi peruersitas postulet,illius nasum,humeros,& tibias verberet. Interim ipse otiosus esse vniuersum hoc tempus noli. Sed de sella & tuum baculum commonstra, ac pariter cum pedite clama retro, & vobis se dedet equus. Vbi vero vtriusq; iunctis viribus retrocedit: iterum experire quid solus potes, pedite se ostendente modo,ni ad verbera illum cogat equi improbitas. Huius autem peditis ope vteris, quoad ipse per te,

ad voluntatem tuam imperare queas. Quam victoriam vbi nactus fueris, retrahendus est, quod ante monui, equus, decem, viginti aut triginta hominis vlnas, & denuo ad eundem locum, vnde illum retraxeras, eadem manus duritie prouocandus, quandoque succussans, quandoq; festinantior. *Sometime trotting, sometime vpon the hand galloping.* Hoc autem sæpe faciendum vt doctior euadat. Atq; prima hæc via est efficiendi vt decenter, ac leuiter ferat caput equus. Quæ merito artificiosa habenarum tractandarum ratio dici poterit. Altera atq; secunda via qua hoc operamur, sunt ferra illa quæ infra oream extrinsecus dependent. Hæc quoniam ex orea emanant, & ex eadem quasi enascuntur, vt oreæ palmites appellem date quæso veniam. Hi quanto breuiores sunt, tanto licentius cum capite progreditur equus, quanto longiores, tanto magis illud ad nutum tuum accommodabit. Quamobrem si collum incuruum, caput altum portet, & nasum ad pectus inflexum satis, id quod ab ipsa natura, sine vlla fere arte multi præstant equi generosi. Tum breuior inquam palmes sufficere possit. Sin caput alte ferat, nasum tamen emittat, tunc longior, & vbi de stomio prodit, circumflexus quærendus palmes. Si caput incuruet satis, sed humiliter & demisse nimis gestet, palmitem longiorem para, eumque rectum sine vllo ambitu. Porro quod ad illum equum attinet, de quo paulo ante, qui caput elatum satis fert, sed nasum emittit nimium: vtere longiore hoc palmite, dum eo, & regrediendo simul, vitium illud sustuleris. Quo perfecto negotio, (perficietur autem tempore satis oportuno, manu minus sinistra) gradatim a longiore hoc, ad breuiorem descende, donec tãdem ad palmitem perueneris, haud octo aut nouem pollicibus longiorem. Tertium adiumentum est ipsa orea, pars illa fræni, quæ in ore latet, a qua vniuersa freni figura nomen accipit, vulgo a nostratibus morsus dictus, fortassis quod illã continuo dentibus mandet generosus equus. Oreārum leuissimæ, & mitissimæ sunt, *canon*, & huic simillima quã vocamus *A Scatchion*, tum

tum ex maioribus annulis tessaris precariis similibus confecta alia. His proximæ sunt portæ refractæ, tum portæ intigræ, quarum varia sūt genera. Quædam ex cylindro cōstant, pyro, campanæ, aut oliuæ non absimili. Quibusdam & alia orea additur, vt duplex esse stomium videatur. Præterea multæ aliæ reperiuntur orearum differentiæ, pro cuiusq; equitis arbitratu, ac inuentione, quas hic præscribere parum prodesset, nisi & hoc mihi assumerem, cuique equo frænum assignare, quod illi optime conueniat. Hoc vero, quia ardua, ac difficilis res est, equitis iudicio mallem relinquere, qui equum experiens, melius quod frænum conueniens, & aptum fuerit, diiudicabit. Hoc tamen audeo consilii dare. Quemcunq; tractaueritis equum, in principio, in os frænum ab asperitate remotissimum inserite. Quale est quod *canon* appellamus. Dein si placeat, commutare licebit cum iis qui huic lenitate quam proxime accedunt. Quibus si bene se gerat equus, in his requiesce, sin minus ad proximum gradum progredere. Adde mitioribus hisce portam refractam, hic si melius, sed nō omnino vt optas negotium suum gesserit, adhuc procede, & ad refractas has portas aliam oream appone. Veruntamen diligenter caue, si molle sufficiat ne durius equo stomium offeras. Quo enim mitius equum frænes, modo id idonee, & accomodate fiat, eò melius frænaueris. Nulli equo frænum molle, multis asperum displicet. Equum itaque quam dulciter queas cohibe, & agrestem illam duritatem quātum potes vita. Omnino fortasse non potes. Quoniam æq; conuenit mihi dices quibusdam orea asperior, atq; aliis lenis. Quare equitis officium erit, bene de equi natura cogitare, ac semper illud frænum eligere, quod in primis equo placeat. Quale vero id sit, siue lene, siue durum fuerit, equus ipse ostendet labris suis spumantibus, illud diem integrum mandentibus. Nihilominus tamē durum, præ molli contemne, dummodo idoneè id aptare possis, dummodo id præstet quod quærimus, præstiturum autem in omni equo generoso ausim affirmare, si id in

initio peritus quis aptauerit. Quartum ac vltimum adminiculum, in retinaculo consistit, tam necessaria fræni parte vt sine illo, parum aut nihil magis fræno equum coerceas, quam sola orea. Hoc ita vtere vt imperes, sed tua culpa nec cutem teras, nec caput tanquam aliquid mali ab eo sentiens, proiiciat equus. Qui quidem indecorus, & capitis noxius (vt ita dicam) proiectus, omnibus equis cito nimis, sed vni potius quam alteri accidit, ex retinaculo magis quam par est constricto, à manu extra modũ imperita, ac ab antilena cum in eam non animaduertente qui equitat oreæ palmites incidant. Quod ad cutis intertrimentum attinet, sit amplum, bene inuersum, ac elimatum retinaculum. Et laxis habenis ad menti tumorem dependeat, imo ad ipsius tumoris medium pertingat. Quod ad spectantibus indecoram, equo autem ipsi molestam capitis proiectionem valet, ne fiat: sciretis vellem, antequam eo perueniat oratio, quibusdam equis adeo esse retinaculum impedimento, vt cum gradum sistant, aut velocius progrediantur, aut succussando solum procedant: nec equitantibus vobis, nec vlli perito spectatori placeant. Progressu enim sedatiore sæpe hæsitant. Celerius prouocati ritubãt. Cum insistere iusseris, in terram penè decidunt. Proueniunt autem hæc omnia, quomodo dictum est prius, ab antilena, ab indocta manu, a retinaculo æquo plus strictiore. Et abulia causa hisce deteriore, ab ipso fræno, cum ita in ore pendeat, vt non solum ad dentes caninos pertingat, sed eosdem excedat. Quo modo vero pendere frænum debeat paulo ante legebatis. Ad reliquorum autem emendationem quod attinet, vt vitium hoc ab equo remoueatur: antilenam aut prorsus tolle, aut ita applica ephippio, fræni palmites vt non irretiat. Retinaculum laxis habenis menti tumorem in initio parum anteuertat. Manus vero pressius habenas, sed paulatim, ac suauiter assumat, vt retinaculum constrictum sentiat, ad hunc modum succussando, progrediatur equus primo lente, dein celerius, tandem remittat habenas manus quam subi-

to poteſt, ita vt intra dentes reſonet frenum. Et æque laxum nunc erit, atq; modo preſſum erat retinaculum, ac vſu deſinet timere equus manum. Sæpenumero igitur, vt equum aſſuefacias, erit hoc agendum, vigeſies, & amplius ſi vis, dimidii milliarii ſpacio. A ſuccuſſu porro fac celerius eat (*from his trot let him gallope.*) Etſi non eodem die, & ad hunc modum diu ſuccuſſando, ſæpe feſtinantius eundo, tum conſtrictum, tum quam fieri poteſt laxum retinaculum ſentiat, ac id quidem frequenter. Hac via, & ratione, in plurimis equis, breui tempore vitioſam, ac corruptam hanc conſuetudinem emendaui, & caput perquam ſtabile effeci. Etenim remota antilena, & pendente in ore equi quomodo pendere debet fræno: dum ſæpe habenarum adductione ſtrictum, & toties illarum demiſſione ſubito laxum ſentit retinaculum equus, coniicio, vſu aſſiduo tandem confidere illum, ac videre nullum a manu, vel a retinaculo imminere ſibi malum. Quemadmodum equus qui immodice, ac intempeſtiue virgula cæſus, ſolo ipſius aſpectu perterritus, repente de via deſilit: tandem, (primo per oculos demittendo placide, & iterum leniter aſſumẽdo virgam, poſtea vero aſperius hoc agendo, ſed vnà illi eadem gratificando) virga aſſuetior, ſecurus redditur, ac deſinit omnino timere virgam, cum nulla cernat a virga prouenire verbera, ni ipſe mereatur. Hoc enim cernere equũ volo. Atq; propterea quotieſcunq; peccat equus, & ideo vapulat, ilico vt dulciter illi virgam oſtendas, & eadem illi gratificeris, vtile foret. Vt verberum nõ virgam, ſed peccatum ſuum cauſam eſſe cognoſcat. Verum ad retinaculum vt reuertamur: ſciendum eſt remiſſum, atq; adeo laxum hoc retinaculum, nulli equo bene inſeruire, niſi tam praue morato, tam male inſtituto. Nam ſi omnibus hæc concederetur laxitas, nec tam decore collo, & capite incederent, nec tam obedientes, tamq; expeditos ſe præberent, quam ſtricto magis. De preſſiore vero retinaculo admonuimus antea, vt ad menti tumoris initium pertingeret. Attamen laxum nimis retinaculum, citius,

quam arctum nimis sit semper. Nam hinc nasci magnum malum potest, inde nullum nisi cui facilliter mederi queas. Atq; sic de perita habenarum tractatione, de orea, de palmite, de retinaculo dictum est. Quorum princeps manus. Quæ omnia simul (aut nihil) efficient, vt decenter, & leuiter ferat caput equus. Sine dubio hisce auxiliis, facile hoc præstabit equus generosus. At rusticus ille, ignauus, ac contumax, cui nihil vnquam placeat, qui nulla re voluptatem capiat: semper rustice, nunquã belle se geret. Collũ breue, ac crassum, caput multa carne rancidum, nulla arte decorum, ac elegans fit.

Quo modo instituendus equus vt paratior, & expeditior fiat.

Cap. 5.

CVM huçusq; equum produxeris, vt facile conscensionem pati, comiter progressum facere, ac obedienter reuerti vbi iusseris, etsi non expedite velit: porro, cum via assuetus sit, & collum, ac caput tam decenter, tam leuiter ferat, quam tua ars efficere possit: equum ad viam, & ad iter satis paratum habes. Sin vlterius progredi, si equum habere vis, qui te oblectet, quocum vbi libuerit colludas, aut equum bellatorem, ad confligendum cum hostibus: sequitur vt ad omnia expeditum, atque audacem reddas. Nam sine duobus hisce, nec delectare, nec aduersus hostem vtilis esse equus poterit. Paratum igitur, ac promptum dicas, qui obedienter, ac intelligenter succussare, celerius ire, insistere, ac reuerti, & nouit, & vult; cum mandat eques. Audacem vero qui nullum sonum metuit, nec tubæ, nec alterius rei cuiuscunq; quę cęteros equos terreat, qui audacter in homines armatos inuadit, in ignes micantes irruit, in hastas vibratas, in tela irrumpit; qui aliorum equorum incursionem, ac impetum confidenter perfert, qui deniq; instar surdi, & cæci, nullum discrimen fugit, nullum periculum vitat.

vitat. Hoc autem opus vt fæliciter perficias: in principio præ ceteris temporibus curiosus esse debes. Hic aut instituetur bene equus, aut de illo actum erit. Si bene cum illo incipias, si in initio bene instituas: bene institutum, bene moratum relinques. Sin primis temporibus, tua culpa quid mali imbiberit, quid mali somniauerit: id vel difficiliter, vel nunquam illum dedocebis, admodum difficilè illius memoriam, deponet. Diu enim seruat testa recens illius rei odorem, qua semel imbuta fuerit. Quod ad expeditum igitur equum attinet: principio caue, vt cum succussatura, tum celeriore suo progressu, caput, & corpus recta gerat, vt recta eademque linea vtrunque constet, dum insistit. Cum autem se vertit, nec collum, nec nates torqueat, sed tanquam truncus, ac stipes, toto corpore æquabiliter circumferatur. Quod ad audacem attinet: ne sis ipse nimium festinanter audax.

Atque vt ad rem accedamus, & cum expedito incipiamus equo nostro, ac primum quomodo consistere debeat ostendamus: duos esse insistendi modos dico. Vnum vbi manus duritie quadam imperite commoratur equus, alterum cum scienter, vt equiti placeat, consistendo pedes anteriores de terra paululum tollit, anteriores partes vna leuat, posteriores inclinans, ac easdem nonnihil ordinatim simul leuans. Quod quidem commorandi genus, quoniam ad aspectum pulcherrimum sit, & solo lubrico, ad equum vertendum tutissimum: merito dignissimum laude. At primo satis sit, si obedienter, licet impolite, vbi iubes se sistat equus, tum postea si elegantius. Quam ob rem per sulcos profundos equita, eosq; rectos, spatio ducentorum pedum, aut amplius vt dabitur occasio. Primum pedetentim succussando, ibi, haud festinans, sed paulatim trahe ad te habenas, ac pariter aliquo sono equum assuefacito, *bola*, aut huic simili, & vna, fac moram interponat, fac insistat. Hoc pacto equitare, ad hunc modum facere vt commoretur equus, ter, quaterne simul, iuuabit. Quo peracto negotio ibidem vel quod melius est alio loco huic simili,

mili, velociori succussatura quam antea, fac iterum toties se sistat, quoties modo. Postremò currat equus quater, aut quinquies, sed lente, ac totiens illum remorare. Veruntamen non hoc volo vt primo die hæc fiant omnia, ni docilem admodum equum inueneris. At ne tunc quidem licet docilis fuerit, perdit tempus, qui cogitate, festinat lente. Porro non cogeris toties, ac non pluries habenas adducere, equum vt remorere, huiusmodi tuo relinquuntur iudicio. Hæc agenda prout dabit causam equus. Sed quod ad locum pertinet quo remorandus: sulcum rectum assigno, causa esse vt possit, si eo diu, ac multum vtare, cur corpore recto, ac linea recta, tandem vsu discat incedere equus. Res in equo & decora, & laudabilis. Profundum autem constituo, ne dum progreditur, at præcipue, ne vbi se sistit, facile in proximum sulcum transiliat. Atq; hic quidem diligentem esse te oportet, vt tum succussatura, tum celeriore progressu, æqualiter gerat corpus, ac recte. (Id quod tali loco necessario fit, si quid peritæ manus habeas, ni insaniat vterque vestrum) & cum insistere iubes, ne vllo latere trans liram saliat. Quod si euenerit (euenturum autem cum primo equitas verisimilimum) in suum locum dextere reducito, tibia leniter promouendo, aut virga humerum, vel nates illo latere tangendo, quo peccat. Neue fine, vel anterioribus, vel posterioribus partibus vllo modo vt incuruus stet. Propterea autem volo vt cum anterioribus, tum posterioribus partibus recta linea insistat: quod cum decorum hoc sit, tum paratior ad vertendū si equus vt foret. Etenim ti insistendo ab eadem recedat anterioribus, tuq; ad contrarium latus vertere vis, sibi impedimento erit. Quod si posterioribus, tuq; ad illud ipsum latus flectere decreueris, & hic impedit ipse se, ac ita minus expedite perficietur alterutra conuersio. Et quod fere ex animo meo exciderat: vbicunq; insistere equū iubes, aliquam moram interpone, spacium dominicæ precationis mediæ, aut in initio minus. Quo temporis spatio, quotiescunque se è loco suo mouerit, rursus eò comiter deducito, donec

quid

quid velis incipiat intelligere, & breue tempus illud modo constitutum expectare tandem dignetur. Quod cum acciderit, blandire illi, de tergo illius desili, ac manu deducito. Nunc vero longius quære tempus, vt tandem loco suo tam diu maneat, quam ipse desideras. Ante quam perfectionem, vt eam melius compleas: quamprimum animaduertis, percipere mentẽ tuam equum: quamprimũ exiguum modo illud tempus permanserit, tibi vt placeat: nunquam in posterum se iussu tuo moueat, quin meritas poenas det. Nunc verbera sentiat, bis, terue, quibus illum in locum suum reducas: licet in principio antequam quid tibi velles intelligebat, suauiter illi animum tuum exponebas, amice cum illo agebas. Nihilominus tamen, & hic etiam, vbi ad pristinum locum reduxeris, illi & voce, & virga adulabere, ac de dorso desilies. Nam quò sæpius desiluerit, eò citius addiscet, quoniam hoc magis placebunt quæ doces, & diutius eodem loco hærebit, onere suo vt alleuetur. Hoc fac quotidie decies, imo vigesies simul, ab vno, ad alterum sulci finem equum remorando. Assiduo hoc vsu, ac diuturna exercitatione, paucis diebus, (partim quia tibi displicere timebit, partim quoniam leuando labori studebit) adeo promptum habebis equum, paratus vt fuerit, tam diu immorari, vt & sibi ipsi noceat, & tibi molestus sit, tu vna cum eo expectare si velis. Hoc porro animaduerte. Quo diutius immobilis steterit equus, eo melius quicquid docueris memoria retinebit. Atq; hæc quidem hactenus, quomodo instituendus equus fuerit, vt expedite, & quam id fieri potest, plano hoc more decenter, cum iubes se sistat, quem insistendi modum, tum succussatura, tum celeriori suo progressu, iisdem quoties equiti videbitur ab vno ad alterum commutatis, perfecte teneat equus, priusquam ad magis politum illum quis equitur insistendi morem progrediare, in quo nonnihil difficultatis reperies, nisi perdocilem equum tractes.

Ad hunc modum cum illo incipe. Quam celeriter succussare poterit eat centum, vel ducentos pedes potius ibi rudi, ac dura

dura manu eum retine, vna humeros bacillo cæde. Præterea opitulentur & vox, & crus, voce autē vtere quæ tibi maximæ placebit, modo semper eadem vtare: vt ea assuefiat equus. Hoc modo inquam succussando, & progrediendo parum celerius, alternis vicibus, equum retinebis, donec si id fieri queat, tandem cum insistit anteriores tibias de terra leuet. Quo durius vero ad te habenas adduxeris, (at modum tene) eo se leuabit ocyus. Quapropter si non sufficiant crura, si nil suræ prosint, si vox nihil, sentiat & calcaria, sed & hoc moderatè. Vbi si partes anteriores eleuet, quamuis alte nimis, boni tamen consule, dum quid ab eo petis, intelligere illum videas. Quod si hac non succedat, alia aggredere via. Ad muri alicuius validi angulum equita, in id equi nates intrude, adsint cum virgulis pedites duo, qui humeros, & pectus verberent, ac vt se paululum erigat lacessant, nec dum id faciat, a verberibus respirent, tu interim fer opem, illis adiumentis, quæ paulo ante memoraui. Sunt autem ea, vox, virga, tibiæ, vel arundē suræ, atq; calcaria, si horū opus sit. Hisce vero auxiliis ita illum assuefacito vt illis sēper pareat, sed metuat nunquā. Aut baculum habe, super duas furcas, a terra sesquipedem, vel duos pedes altas, illum pone. Ita vero pone, vt facile decidat, ne ad eum vel titubet anterioribus, vel posteriores pedes in eum damnose collidat equus. Ad baculum hunc asta. Hic rursus vtere adiumentis prædictis, ac vt priores trans illum pedes leuet, prouoca, sed ne cum posterioribus sequatur, si potes, caue. Id quod tuis optatis si respondeat: sub ventre comiter, ne displiceat, remoueat baculū seruus, & cum præterieris reponat. Iterum vero, atq; iterum, ad baculum hunc accede, nec equum lacessere, anterioribus pedibus vt illum trāsiliat desine donec doctior euaserit, ac illi semper, tibi cum placuerit adulare. Postremo ad fossam duos pedes profundam, vnum & amplius latam adi, & idem facito. In hanc fossam si influat aqua, melior sit. Ex hisce omnibus vna, aut nulla via, cum se sistit, anteriores pedes leuare docebis equum.

Sin

Sin omnino cũ posterioribus sequi velit, si prohibere nequeas, haud multum refert. Nam cum eleuandis anterioribus semel assuetus fuerit, facile posterioribus subsistere vsu discet, vbi frequenter vno atq; eodem tẽpore erigere se ante coegeris, ac vna, quã bene potes retinueris, ne cum posterioribus subsequatur. Ita enim tandem sentiet, non placere tibi, vt tam enixe prosiliat. Ad hunc modum cum equo dum certas, verisimile est, quòd illum nimis concalefacies, licet quidam facile perdiscunt. Quam ob rem cautum esse te volo, vt aere temperato equites, porro ne opimus nimium equus sit, sed vt spiritum libere ducat. Id quod obseruandum semper, vbicunque aut cum equo contendis, aut illi magnum laborem imponis. Sed vt vnde orsa est, eò redeat oratio: quacumque harum quatuor via, cæperis docere equum, si de terra tibias leuauerit, quamuis impolite, quamuis inscite: in optimam tamen partem accipe. Quod ad primam attinet: si se erexerit vt sibi potius prosiliendo, quam tibi placeat: quod ad secundam si non propterea pedes tollit, quia te metuit, aut vt tibi morem gerat, sed vt iniuriam vlciscatur, ab iis qui verberant illatam: quod ad tertiam, licet non perite, non scientur se eleuet, tibi vt placeat, sed ad baculum ne titubet: quod ad quartam & vltimam, si propterea pedes leuet, ne in foueam incidat, & nullam aliam ob causam: boni tamen inquam consulenda omnia, ac ille assidue agitandus, donec doctior euadat, & tandem quid tibi velis, intelligat. Quod quam primũ intellexerit, paratum nimis, diligẽtem nimiũ inuenies. Tum sæpius, tam altius, & antequam iubes, tollentem se a terrã. Quæ quidem vitia tempore oportuno satis, & facile corriguntur. Si alte nimis se leuet: infra genua tibias verbera anteriores, virgula longa. Præ cæteris membris in primis tibiarum curam habet, quod clare apparet, quando cum alio equo pugnat. Cuius dentibus, cæteras corporis partes intrepide offert, sed cum tibias inuadunt, cum illas adoriuntur, sub ventre illas abscondit, ac potius quam illæ quid damni capiant:

in pectus decidit pronus. Pauca proinde verbera hoc loco sufficere posse videantur, pedes vt demissas satis teneat. Quomodo re vera sufficiunt, si ea strenue, & tempore, locaueris. Atq; hoc paucis diebus eluceſcet, si ſæpe quotieſcunq; peccat, ſeuere, dextereq; virga punieris. Si officioſior quam par eſt, vel ſuccuſſatura, vel celeriore ſuo progreſſu fuerit: ſi gradum ſiſtere, ac inſiſtendo tibias prius leuare conabitur quam iubes: increpa ac ſimul verbera, & progredi adhuc compelle, oblatum illius obſequium nunquam boni conſulens. Præterea ſi ſemel à terra tibiis eleuatis inſiſtere iuſſeris: quinquies pedibus ad terram fixis ſiſtere iubebis. Ac præcipue illi indulgendum, cum incultiore hoc modo ſtiterit. Ita breui tempore percipiet, nunquam inſiſtendum ſibi, nec cum inſiſtit leuandas tibias, niſi cum audiat, & auxilia prædicta ſentiat. Quod quidem quamprimum perceperit, diligenter & curioſe obſeruabit, ſeque expedite ſiſtet, pedibus aut terra fixis, aut ab eadem eleuatis, quando iubes, & non antea. Etenim neque hic nec præterea vnquam admittendum quod iniuſſus patrauerit equus licet bene id factū ſi iuſſiſſes fuiſſet: nihil enim vltro audere debet equus ſed equitis expectare imperiū.

Porro vt etiam nunc doctior euadat, vt adhuc decenter magis inſiſtat: ſcitote plurimos equos, quando gradum ſiſtere debeant, nimis ſtudioſe proſilire, nonnullos contra reſilire. Duo hæc vitia ad hunc modum emendabis. Si auide vlterius quam par eſt tranſiliat: dure tanquam iratus habenis illum retrahe, & ſimul aſperius appella, ac rurſus vt progrediatur coge. Sæpe autem hoc agendum. Si reſiliat, manu ſuaui, ac molli, & virga, ac calcaribus, iterum atque iterum promoue, dum loco ſuo firmus maneat, aut aliquid lucretur potius quam perdat terræ. Manus vero huius, mollitiem, nolite iudicare laxitatem nimiam eſſe, ſed duritiam potius quandam, cum ſuauitate coniunctam, quæ equi os nonnihil tamen cōprimat. Expedite autē ſubſiſtere equum docebitis, priuſquam quid præterea doceatis. Ita non ad hoſtes nos deportabit, ſed

ad

ad commilitones vbi iusseritis redibit. Facile enim fræno circumagitur, qui obedienter insistit, quoniam sæpe circumagimus, & illa actione assuefacimus, dum ab vno, ad alterius sulci finem vt se sistat modò vertimus. Denique vt huic negotio finem imponamus, si me audire velitis: nouerit plenè equus à succussatura, ad celeriorem paulo progressum, à celeriore ad citatiorem cursum ascēdere, & commutatis vicissitudinibus, à citatiore, ad sedatiorem progressum iterum descendere, quoties, & quandocunque equiti videbitur: antequam se vertere illum doceatis. At vt clare anglice dicam: *my meaning is that your horse know thorowly from his trot, to rise to his false gallope, from his false gallope, yet to a swifter, and then from this swifter, to descend to his false gallope, and trot againe, by turnes, when, and as often as the rider shall thinke good, before you teach him to turne.* Quod facilius perficietis, si agrum, aut pratum longum, vel latum elegeritis, quo sæpius succussaturam, cum celeriori progressu commutare possit equus, priusquam insistat. Quod si ad succussaturam paratiorem inueneris, quam ad celeriorem progressum, celerius progredientem, si ad eundum celerius expeditiorem quam ad succussaturam, succussantem subsistere facies. Quare autem hoc fiat, facilliter percipitis. Illum nimirum progressum vltro sectabitur, quo à labore quiescere consueuit. Proximum opus erit, cum insistere equus perfecte nouit: vt circumuertere se doceas. Ad quod negotium priusquam accedimus, date veniam quæso à vobis, vt quod anglice *à turne* vocamus, id mihi liceat latine conuersionem dicere, forsan non admodum inepte.

Conuersionum itaque duo sint genera. Duplex, & simplex. Duplex est, cum ad eundem locum anteriores pedes reducit equus, vnde illos abstulerat: simplex, cum, vbi posteriores pedes steterunt, eò priores circumsert, & non vltra. Conuersione duplici integrum circulum conficimus, vbi depresse per tetram saliendo, aut altius à terra saltando, aut cum succussando, aut velocius eundo, semper rotundè equum a-

gimus. Primæ duæ, delectationi solummodo inseruiunt, nec sunt adeo pulcræ. Postremæ duæ, cum vel succussatura, vel celeriori progressu equum in ambitū rotundū conuertimus: tum antiquæ sunt, tum perutiles. Quod vtilitatem habeant, quòdque expediant: manifestum est, argumentatione non eget. Quòd antiquæ sunt, ex Vir. versibus apparet Georg. iii.

Frœna Pelethronij Lapithæ, gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Ante illum & Xenophon de hisce gyris scripsit. Ac revera est gyrus conuersio, quæ cum ipso equo nata esse videatur. Videre enim licet pullos, vix quartam anni partem natos, circulos suos, orbesque conficere, vbi ludere ad matrum vbera placuerit. Vtilitatis vero fructus, quem præbent gyri, mirabilis, vniuersus fere, quem in equo expedito requiras. Equus qui perfecte tum succussatura, tū celeriore progressu, quando iubes, & amplos, & angustiores circulos ingredi nouit: equus qui expedite celeriorē progressum, cum succussatura, & viciſſim eandem cum celeriore progressu commutare ad equitantis nutum scit: is inquam equus qui hæc perfecte, idoneus erit ad hostem inuadendū, agilis, collo, ac capite fixè firmèq; constitutis, & aptus, qui se in vtranq; cōuertat manū, quocūque conuersionis genere, ad leuiorem pugnam idoneus, ac ad omnia paratus, quibus instituì illum cupis. Quamobrem diligens hic esto, hos gyros absolutè ingredi, ac plenè equum doce. Principio autem cum ad ambitus hosce rotundos equum iuuenem adduxeris, si illos prius quam ille ingrediatur, aliorum equorum pedibus triueris, aut seruorum opere denudaueris: bene fiet. Nam eo libentius & ipse teret, & citius circumire discet. Imo haud imperite facies, si equo iam edocto illi viam commonstres. Nihil enim homini (vt bestias missas faciamus) docenti tam facile, quin id difficile fuerit discipulo rudi, licet ingenioso ac volenti, tum bestia hebes, tardus, ac repugnans, huius debilitas, ac mentis stupor, hominum acumine

mine adiuuandus, repugnãtia autem seuera castigatione corrigenda. Sit itaq; primus circuitus amplissimus, triginta tres, aut sex pedes, latus. Nam quò latior orbis, eò tum facilius, tũ libẽtius circumitur. In hoc orbe vbi exercitatus egregie equus fuerit: cum hunc pedibus expedite terere, cum succussatura, tum celeriore progressu sciat, cum ab hoc nullo latere declinare conabitur, licet diutius illum in eo detinueris, cum hoc in vtramq; manum obedienter præstiterit: tum coarctetur gradatim quotidie circulus, donec tãdem succussando orbem circumire assuescat, sex aut septem pedes latum. Circa arbustum aliquod, vel montem maiorem a talpa coaceruatum, aut circum famulorum quippiam ages, ita vt circumeundo illum fere attingas. Quod ad circulos, & conuersiones alias quascunque pertinet hoc obseruandum est, vt sæpius ad illam manum equum vertas, quæ illi præcipue displicet, vt ab eadem incipias, & in eadem desinas. Ac cum totiens orbem circuniueris, quotiens satis erit, vt tunc ab eo, linea recta discedas, nonnunquam succussando, nonnunquam progrediendo celerius. Trecentos pedes, aut amplius, prout videbitur. Ibi insistat equus pedibus à terra eleuatis, aut si paratior quàm par est, sit, pedibus ad terram fixis. Vel quod melius sit, rudis dum adhuc est equus: in ipso ambitu subsistat potius, dũ plene doctus euadat. Alioquin si ab annulo discedens cõsistas, ac equo indulgeas, (quod pleriq; equites facere solẽt) animũ illi addis vt circulũ deserat, id q; inueniunt qui ad eum modũ equos remorãtur, crebris illorũ conatibus (quantũ audent) vt à circuitu discedant. Nam bonũ fore sibi cogitent, vt orbẽ relinquãt, quandoquidem ibi continuo agitantur, quiescunt nunquam, cum ab eodem vero semel recesserint: acquiescunt statim, ac illis pergrata fiunt. Hæc apud se ratiocinari videantur equi.

Sed videor, mihi audire dicentem aliquem, in circulis equitandum esse. Et in cuiusmodi equitandum sit ac quomodo ab iis discedendum fuerit abunde satis dictum est. At qua ratione equum improbum, ac renuentem circumagamus: audi-

mus nihil. Vtere loro ad oream proxime habenas appendente, vtere crure, vtere calcaribus, & virga. Crure ac virga vt progrediatur face, ac maleficium eo latere puni, quo orbem deserit. Loro gressum circa ambitum dirige. Sed a collo ne illud nimis longe trahas caue. Via enim hæc est morem deprauatum docendi equum, ceruice molli vt sit, caput, & collum vt torqueat, antequam corpus verterit. falsum igitur lorum, (nam ita nuncupamus, quoniam illud nunquam nisi oblata occasione vsurpamus, atq; ita oculos spectantium fallimus) decurtatum satis tene. Quo prehenso, manu quam proxime collum adiacente, circumduces, modo illam altera manus pressior subsequatur. Sin hæc minus sufficiant: ad stomii oculos (vbi modo pẽdere lorum debere diximus quod falsum appellamus) funem annecte. Hunc prehendat iuuenis valens, in centro circuli stans, facie semper equum versus. Equum sequatur & alter onustus virgis, qui illum si progredi recuset adigat. Tu eum in ipso circulo retinere elabora. Attamen qui hoc negotium tibi facessat: nullus erit, nisi mire obsistens, mirifice repugnans equus, licet cum huiusmodi nonnumquam mihi rem fuisse, non inficior.

Nunc vero cum paratum satis ad hos circuitus equum habemus: cum expedite succussatura, ac celeriore progressu, tum amplum, tum angustiorem ingredi didicerit, & angustissimum succussando nouerit circumire: tempus esse videatur, ad altera duo conuersionum genera, quæ delectationi tantum inseruiunt, accedere. Quorum primum, cum picarum ac coruorum saltatione comparari potest, vbi in via ad quærendam escam saliunt, aut parum timidi, ab hominibus resiliunt, antequam deuolant. Hanc saltationem, (nullius mehercule vsus,) si docere equum vis, ita cum eo incipe. Equus cũ longo vsu, ac diuturna exercitatione, tam bene auxiliis assuetus fuerit, vt ea quotiens audierit, vel senserit, totiens pedes priores pariter a terra leuet, ad solum inclinans adeundum: ibi recta linea quotiescunque partes anteriores leuat, cum posterioribus

posterioribus fac pedem & dimidium, aut duos pedes subsequatur. Hoc virga ad humeros & tibia ad latus labēte facies, quæ coniuncta lingua, causa porro erunt, vt anteriores quoq; eleuet. Hæc autem auxilia dicimus, non quia equo auxiliantur, sed homini adiumento sunt, vt equus ad omnia paratior sit, quæ homo imperat. Ac primo sufficiat, si cubitos quinq;, aut quatuor solum, processerit saliendo, tum decem, dein quindecem, græci enim prouerbii admonitu, festinabimus lente. Attamen quotidie aliquid terræ progrediendo lucrifaciamus, donec tam diu, tanquam longe demum saliat ab eo petimus. In linea hac recta, postquam bene edoctus fuerit, ad circulum veni, in principio ad ampliſſimum, tum postea in dies ad arctiorem, donec ad extremum, orbe tam angusto saliat, quam salire possit. Alterum genus, cum agnorum lusionibus aurora splendida, ac suaui conferre queas. Illos intuere cum ludunt, cum saltant, & quomodo illi faciunt, vt ita & equus tuus faciat elabora. Illi solo prioribus, & posterioribus pedibus vna insultant. Hoc & tuo equo agendum, at posteriores interim haud longe a se emittunt. Id quod facere nec equus tuus debebit, hic vt longius quolibet tempore, ac altius saltet docebis: altius præsertim parte anteriori. Altius, & longius inquam, quam modo saliebat, cum picarum, aut coruorum saltationem imitabare. Extensiore itaq; manu fræno sursum leuare illum conabere, simul virga armorum superiorem partem cæde, ac tibias valentiores sentiat, quam antea sentiebat, & nonnunquam calcaria etiam adde, si tardum reperias. Porro cum hoc negotium agis, viuacem esse te oportebit, non somnolentum nec remissum, ita & equum acriorem reddes. Nescio enim quo pacto dum equitamus, spiritus nostri in ipsos equos transmigrare videantur. Dum hoc agit equus in altum comiter insultare potius dicatur, quam humi repere, vt modo fecit cum picarum saltationem sequebatur. Ac quemadmodum saltationem illam summissam, ita insultationem hanc a terra altiorem, prius linea recta equum

doce, quam ad circulum accedat. In hoc negotio difficillimus labor, vt posteriores pedes apud se retineat, nec altius posteriori quam priori parte insurgat. Ipse igitur quotiescunque posteriores procul a se emiserit, longiore virga illos verbera, ac qui idem faciat insequatur & pedes, donec metuat tandem equus dum saltat, longius a se illos emittere. Ad orbem vero vbi accesseris: ad vnam manum vt se conuertat bene edoctum reddes, priusquam cum altera inceperis (nam & ipsorum hominũ ingenia plura simul discendo perturbantur) altera vero posteaquam itidem assuetus fuerit: nunc ad hanc, nunc ad illam manum vertes. Vicissitudine enim tandem vtendum, & in contraria latera deflectendus equus, sæpius vero in illud, quo imparatiorẽ inueneris. Atq; hæc quidem de duplici conuersione. Quod autem ad simplices conuersiones attinet: quamuis posteriore loco de iis dicatur, priore tamẽ equis ediscendæ erunt, quam duæ postremæ hæ duplices, quæ delectent tantum, & nullius præterea vtilitatis sunt. Nam proderit primum quæ vtilia & necessaria sũt quærere, & tum postea quæ delectationem afferunt. Has autem, cum in manus suscipis, vt equum doceas: ab ea incipe quam facillime discere queat equus. Adibis igitur diuerticulum aliquod arenosum, vtroq; latere inclusum, latum quindecem, vel octodecẽ in principio pedes. Aggere vero potius, quam sepe muniatur. Hoc diuerticulo, in vtramq; manum alternis vicibus, ter, quaterue circumage, primũ succussando lente, deinceps paulo celerius & hoc fac primo, secundo, ac tertio die. Quarto die velociori adhuc succussatura, toties, quoties, modo reflectes. Atq; hoc etiam non minus tribus diebus facies. Tàndem (at ne festines nimium) cum libere ducit spiritum equus: nonnunquam succussando quam potest celerrime, tum adhuc cõcitato magis progressu, vigesies ad vnã, atque alteram manum flectes, vt patientiam illius penitus tentes, & periculum facias num inuite, aut omnino reflecti non velit. Scire enim debetis inueniri multos equos in hoc vitio,

vitio, cum ad diuerticulum hoc accedunt, qui expediti satis esse appareant, dum primos duos orbes circumeunt. In hanc itaq; vitiositatem vbi delabitur equus. Ad diuerticuli vtrumque finem, adsit vnus, atq; item alter pedes, qui manibus virgas ferant, illumq; licet inuitissimum, se vertere cogant, & intra diuerticuli fines, eum contineant, si tam mala mente, ac voluntate fuerit, vt tecum extra illos erumpere velit. Tu vero pro tua parte, quando venientem sensel, ac cedentem sentis: nec virgæ, nec calcaribus parce, quo viuacius circumagatur. At lorum, quod falsum appellamus, ad te arcte nimis ne trahe, ne id semper expectet equus, sed discat molliori manu flecti cum vero se dedit, & tibi morem gerit, illi gratificare, de tergo illius desiliendo, ac ibidem manu ter, quaterue eum circumducendo, ne loci nimis illū tædeat, sed discat potius, hoc loco paratam sibi scholam, qua & condiscendum sibi, & domini mandatis parendum erit. Nunc autem hinc recede paulisper, & ad alium locum huic similem equita, aut si similem non reperias ad eundem redi, vt iterum, atq; iterum, patientiam illius pertentes, ac in eadem animum exerceas, donec prorsus edomueris. Tum & hoc animaduertendum, quòd equus posteaquam verberibus fractus, ac quotidiano vsu edoctus fuerit, vt beneuolentiam capiat. Et celerius, & arctius se vertet, quam ipse velles. Fræno igitur remorabere, ac sura ad illud latus admota, ad quod se flectere nimium festinat, summouebis. Conuersiones enim quæ hic fiunt, integram diuerticuli latitudinem comprehendere debent, nec in voluntate equi positæ sunt, vt eas coarctet. Artificium porro haud minus, haud minor laus, amplo, quam angusto loco, equum composite, ac decenter, circumagere.

Sequuntur conuersiones quæ loco angustiore, aut saltem angustius conficiuntur. Huius autem figuræ 8. sint oportet, vel huiusce citius 8. in principio, ac si ex vno in alterum orbem diuerteres. Et tunc latius erit diuerticulum, quam paulo ante illud metiebar. Nam quò patentior circuitus, eò libentior

tior vertitur equus. Cum hac forma 8. equum fræno retorseris, terra sub pedibus firma eligenda est, præsertim si celerius vertere, si festinantius illum prouocare decreueris. Nec inutiliter fiet, si & huic figuræ 8. tale solum assignes, etsi non tam eo egeat hæc, quam illa prior. Versio enim hac forma 8 peracta, arctior erit quam quæ hac 8. peragitur, ac propterea solo stabiliore opus habet, ne equo sui pedes deficiant. Vtræque ad terram pedibus perficiendæ, atque hoc etiam sine mora, dum succussat, aut celerius progreditur. Tandem posteaquam satis ad vnam, atque alteram manum detorseris, tempus insistendi erit. Quam obrem quod ad commorationem cum insistimus, & ad conuersionem cum equum habenis reflectimus attinet: vbicunque equum succussando, aut eundo festinantius sistere, vel flectere statuis: eadem sedes, eadem semper manus sit. Sedendo, equum non magis vno, quam altero tempore genu stringes, humeris non succubes, neque natibus plus iam, quam antea sellam premes. Manus autem nec insurgat altius, nec inferius decidat. Sed quomodo sedes, dum succussando, aut celerius eundo, progreditur equus, ita sede vel cum insistis, vel illum vertis. Nam aliter facere & indecorum est, & sentiet equus cum sedem mutas, ac tua culpa, quid forsan peccabit. Vt manum tenes quando succussat, aut festinat magis equus, ita illam tene, quando vel remorabere, vel equum circumages. Nimirum blanda illum manu reges, comiter tum ascendente, tum descẽdente. Leuiter descendẽte, cum resurgunt à terra equi pedes, molliter ascendente, cũ ad terram iidem iterum recidunt. Equus qui hac manu expedite negotium suum peragit; bene edoctus iure dicatur, & quod scienter non vi coactus, officium præstet. Docet autem experientia, quod equus subactus, ac totus animo fractus, & diu perbene assuetus auxiliis: nulla omnino manu se sistit, & quam molliſſima se vertet licet velociſſimo cursu, vbi iusseris. Ac tum demum egregie, tum demum venuste insistit, ac se vertit equus, cum liber, quia scit quæ agenda habet, non coactus

actus nisi sola obedientia quam domino debet, se sistit, atque retorquet. Noli tamen inconstantem hanc manum constantiori anteponere, cuius paulo ante meminimus, nam & constanti illa manu quæcunque imperaueris perficiet decenter, & parate equus elegans, ac generosus. Est igitur vtraque manus bona quomodo dictum est prius.

Proxima versio simplex quæ sequitur, magis quam hæc delectat, & vt maiorem affert delectationem, ita etiam solo lubrico tutior erit. Hic quanquam arctiore loco equum flectimus, tam cito tamen non eum destituent pedes. Nam quemadmodum anteriores, ita & posteriores à terra dum circumagitur, eleuat, nec totus posteriobus ad terrā fixis reuoluitur. Præcedente conuersione equum absq; vlla mora, hac paulo commoramur antequam illum reflectimus. Equum autem vt hanc conuersionem doceas: vbi parate nouit insistere, ac belle auxiliis assuefactus, totiens pedes à terra tollet (nam in hisce promptum esse oportet) quotiens postulas: tum agrum noualem adi, ibi sulco lyris humilioribus incluso (quales sunt apud nos lyræ quibus ordeum mandamus) equita, ut facile per eas pedes circumferre equo liceat. Aut ad viam potius arenosam aliquam adequitabis, vbi nulla lyra fuerit, ne quid omnino impediat. Ibi quandoq; succussando, quandoque eundo celerius centum, aut ducentas vlnas: tandem equum pedibus à terra eleuatis siste. Posteaquam vero semel aut bis se leuarit, tertio ipsa pedum susceptione dum adhuc assurgit equus, habenis ad quam manum vis flecti illum, viam commonstra. Quod si non sufficiant habenæ: ad lorum quod falsum nuncupamus, manum admoue, ac eodem, quò cupis circumducito. Manus autem ad contrarium latus collocetur oportet, ne nimis collum intorqueas. Hoc loro, & hac manu, quo cupis venire illum, solicitabis. E memoria elabi interim auxilia non debent, sed quotiescunque etiānum in altum tollere pedes vis, dum terram versus descendūt, at eam adhuc non attingunt: vtere & lingua, & tibiis, lingua primum,

tum tibiis, & lingua simul. Atque ad hunc modum quam diu vis salientem equum detinebis, donec eò perduxeris, quò ducere illum laboras. Vbi vero tollere pedes de terra amplius nolis: cum primum ad terram cadere cæperint, sileat lingua, quiescant & tibiæ, ac equus immobilis ilico permanet. Neq; tibi displiceat, licet diutius in via hæsitet, moraſq; multas faciat, priusquam plene se verterit, sed illi potius blandire, vt eum excites, nam celerius flectere se, vsu, & exercitatione, opportune satis addiscet. Nunc autem posteaquam paululũ commoratus fueris, ad eum locum redi, vnde nuper veneras, ac ibi rursus, vt modo, ad eandem manum equum verte. Neq; semel agendum hoc, sed iterum, ac sæpius. Semper enim ad vnam, eandemq; manum flectendus equus, donec illa assuefactus tandem mentem tuam intelligat, ac vertendum sibi perspiciat. Quod cum intelligere illum videas, ad alteram manum veni, qua vbi itidem assuetus fuerit, alternis vicibus manus commuta, & nunc etiam sæpius ad illam manum flectes, ad quam imparatiorem inueneris. Præterea, vt vertendo se acceleret calcaneo, ac virga, (sed iudicio tamen) prouocabis. Porro ad sulcum depressiorem iam accedere, & quamprimũ equum verteris, sine vlla mora ad alterum sulci finem transire, ac ibi idem facere licebit. Id quod in initio vt faceres, suadere non audebam. Quia nisi paulisper commoratus fuisses, nec ipsi tibi tempus ad gratificandum equo idoneum (magnum ad agendum bene incitamentum) datum esset, nec equus spacium memoriæ mandandi lectionem, habuisset. Deniq; subitus hic discessus, repentinus hic ad progrediendum stimulus in principio, offensionem aliquam forsan concitasset, & loco correctionis equo fuisset, displicere nimirum se tibi vertendo se vt putaret, ac ita tardius flectere se didicisset.

At nunc cum tuto discessum accelerare queamus, & hoc negotium suscipimus, vt sine mora longiore, postquam illum vertimus, ad alterum sulci finem transeat equus: quatuor hæc obseruanda sunt. Primo ne plus quam bis ad vnam, & ter ad

alterum

alteram manum in principio equũ conuentas. Ni adhuc rudis fastidiat, ac vertere se recuset. Secundo, ne discedat cum vertitur donec comparem fecerit versionem, nimirum donec eadem vestigia anterioribus premat pedibus, quæ posterioribus fecerat. Tertio ne tunc quidem, quamprimum circumegeris, pedibus ad terram fixis, discessu præcipiti feratur, sed hæreat paulum, pedes eleuet, ac tum demum venuste prosiliat. Id quod transitum decorum magis efficiet, & obedientem inprimis esse equum ostendet. Postremo cum insistis cauendum, ne vel anteriori, vel posteriori parte equus e linea recta vacillet. Quod vbi accidit, ea parte, ac eo latere, puniendus quo peccat, & freno, ac virga in locum suum reducendus. Ad hunc modum si equum exerceas, in dies doctior euadet, ac breui vt decet, & insistet, & se expedite vertet. Quamobrem ne ipse operam perdas, nec equum eorũ obliuio capiat, quæ didicit: bis quotidie equita. Rursus autem vt etiamnum plura de insistendi, & conuertendi modo dicam, vt adhuc perfectior sit: Cum insistit equus, nec auide procedere, nec retrocedere ignauiter debet. Si auidius quam par est prosiliat, duriter eum habenis retrahe, donec vitiosam illam consuetudinem emendauerit. Si segnius relabatur, strenuè tibiis, & virgula, in locum suum cogo, quoad & hoc vitium corrigas. Nihilominus tamen laudabile esse, ac decere equum non inficior, cum insistit aliquantulum progredi, modo dum hoc agit, nimium contendere non videatur. Illud enim si fiat, rudis, ac indoctus erit. Cum autẽ vertis equum, si quamprimum conuersus sit, præcipiti progressu feratur, vt ad hoc malum remedium compares: quotiescunq; reflectis, priusquam progrediatur, fac leuet ter, quaterue priores pedes. Quod si hoc satis nõ sit, habenis (vt paulo ante feci sti cũ equũ remorabere) a nouẽ aut duodecẽ pedes infẽsior retrahe, ac ibidem, vt a terra pedes tollat, facito, & tum demum placide transiliat. Si neq; hoc sufficiat: simulatq; verteris, fac vt loco suo hærens, quinquies aut sexies se attrigat, ac postea immobilis paulo

maneat antequam procedat. Vltima vero quoq; conuersio ita fiat, aut non transeat omnino, sed simulat reflexeris, ac pedes sæpius de terra locum suum tenens sustulerit equus, de tergo illius desili, ac manu deducito, vt sciat nolle te festinanter progredi illum, sed expectare dum iusseris. Id quod paucis diebus intelliget, & obseruabit diligenter. Præterea quod antea monui, (cui vero displicebit sæpenumero audiuisse, cum idem sæpius audire vtile fuerit?) usu venit vt equus solito peritior, cum ad locum venerit, quo reflecti solet, vltro iniussu tuo se tibi flectendum offerat. Nam quia gratum fore tibi animo præsumit, ideo ad vertendum se intempestiue festinat, & indecenter quandoq; collum retorquet. Peccatum hoc quidem ex animo bono proficiscens, attamen non admittendum. Præsumptionem igitur hanc ita corrige. Virga humerum illum cęde, & calcari, illud latus quod culpā committit, tunde, porro obiurga, ac ad contrarium latus retorque sæpius, ac in singulos dies, donec tandem ad neutrum latus se offerens, saliendo rectus hæsitet, voluntatem tuam expectās, quasi diceret ad quam manum vis me vertere? Tu interea cōstantem, haud ad alterutrum latus vacillantem manum, & tibias compares serua alioquin frustra hæc fiunt. Rursus vt adhuc obedientior fiat equus, & inspectantium oculos magis delectet: illudes equo, dum illum reflectere ad sinistram velle te confinges, sed ad dextram demum verte: contra. Tunc vt etiamnum imperiosus magis sis: ad dextram plene flectes, quasi procederet, dein ad læuam reduces, postremo ad dextram redibis, ac tum comiter prosiliendo ad alterum sulci finem trāsibit equus. Vbi, a læua manu incipiendo, idem facies. Porro priusquam ad locum veneris, vbi equum reflectere decretum est, in via potes, serpentem imitans, oblique per rectam lineam equitare. Via hæc docendi illum, vt manum diligenter obseruet. Deniq; versiones duplicare proderit, & bis, terue ad eandem manum equum flectere, ac orbem conficere, quamuis non tam rotundum forsan, quam priores

illi

illi, de quibus ante dictum est. Aut vt ad locum vnde venisti, redire queas, versionem vnam duplicem, alteram singularem conficies. Tribus hisce, priores pedes ibi locabis, vbi modo posteriores stabant, & si placeat ad alterum diuerticuli, vt sulci finem reuerti licebit. Tractanda vero hæc, cum parate se vertere, placide, ab vno ad alterũ locũ prosilire, ac perfecte insistere didicerit equus. Alioqium si ab equo rudi, & impolito hæc expetas, hanc perfectionam quæras, (si natura contumacior sit,) non modo illum non flectes, non remorabere, sed tecum excurret, ac inuitum te furibundus, per denia, quò illum furor duxerit, vehet. Atq; vt de excursione hac, (vitio in equo vel maximo,) aliquid dicatur: quibusdam bonum videatur, non prius equum relinquere, non ab illius dorso ante descendere, quàm illum subegeris, quam in tuam redegeris potestatem, ac ad obedientiam reduxeris. In quorum sententiam vt eã, difficulter adduci possim, præsertim si cum equo iuniore, & indocto nobis res sit. Etenim iuuenis (vt ita dicam) iste equus, iam demens, antea vero nunquam edoctus bene eò magis insanit, quò magis cum illo certas. Quia nunquam aut quid sibi agendum erat didicit, aut quomodo tibi placeret clarè nouit. Præterea in furore nihil discitur, insaniẽtem vero quid docebimus? Quapropter ego citius suaderem, vt domũ equitares, vt in via asperius appellares, (dommodo ad solam vocem non excurrat) ac postquam de tergo illius defilieris, & in equile locaueris, vt tum quoque obiurges, ac etiam verberes. Vt sciat peccasse se, ac domino displicuisse. Hic haud minus septem diebus, ab omni exercitatione acquiescat, vt illum melancholia sua relinquat, & si fieri potest vt excurrere dediscat. Post hebdomadam hanc, iterum equitabis, iterum exercebis. At haud ardentius primò imò indulgentia primum vincere operam dabis. In principio igitur, donec pedetentim modo procedit, vsitatis auxiliis, insistendum sibi, in memoriam reuocabis. Vbi si obedientem se ostenderit: assentare illi, Hoc semel, aut sæpius facies, perinde vt dabit

bit occasionem equus. Tunc succussando progredere, hic si expedite, licet ineleganter insiterit, haud displiceat tamen, sed bono animo accipe. Et hoc postquam ter, quaterne præstiterit, de tergo illius descende, ac manu deducito. Deinde audacius tenta. Quo tempore si etiamnum bene se gesserit: illi (vt prius feciſti) gratificare. Atque ad hunc modum perge, donec celeriter, & tandem adhuc celerius festinet (at festina tu tamen lente, temporis satis sume, opus non est, vt vno die hæc omnia.) vbi si itidem familiarem se, & comitem facilem præbuerit: nimis illi gratificari, nimium indulgere non potes. Inter cætera vero, quæ gratè illi fieri queant: in primis delectat, ac præcipue iuuat, si ex eo descendas, ac manu ducas. Nunc autem cum clarius apparauerit, quod si obediens sit, facilis erit in gratiam reditus, quod propter obedientiam illi quæcunque grata fient: difficilliter in posterum repugnabit. Ad hunc modum nonnullos equos instituere, ac erudire possis. Quæuis enim bestia, cum animo comprehendit, quid sibi velit homo: ne vapulet, vt incolumis sit, vt liber à flagello eat, placere potius studebit, quam displicere, & pœnam pati, quam displicendo meretur. Sapienter itaq; cum equo agendum, vt quid facere eum vis, ab eo intelligatur. ac sedulo cauendum, ne nimium punias, dum cur id facis ignorat. Reuera insanum reddendi, non docendi illum via. Verumtamen si res tibi fuerit, cum equo iam deprauato, & perdito, vel tam indocili, tardoque, tam spernente te, ac contumaci, vt blando, & benigno hoc vsu, nec possit, nec velit doceri: cum illo asperius, cum illo rigidius agere cogeris. Quod ad stolidum igitur, & fastidiosum hoc equorum genus attinet: sit inanis, ac vacuus equi vter, sit respiratio, vel spiritus liber, priusquã cum illo decertaueris. Tunc solum operosum elige, & laboriosum, vt sudori, ac labori tuo spatiosum, ac amplũ, vt saluti tuæ consulas. Hic quam primum excurrere ipse nititur, & tu prouocabis, curser satis, donec diutius currere, illum tædeat. Imo cum labore defatigatus, vltro insistere offerat se, quietem

tem illi non concedes, sed calcaribus protrudes. Et vt cursum quam celerrime potest renouet cõpelles. Sin respirationi timeas, ne suspiriosus vt sit, eueniat: paululum quiescat fine, sed quam breuissimũ tempus cõcessisse sufficiat, vt ter, quaterne interspiret tantùm. Ita quotidie equum exercens, tandem efficies, vt non sine offensione sibi, non sine fastidio suo excurrat, & ad vocem solam lubens insistat. Hoc modo plurimos equos edomui, quamuis non omnes ita frangi volunt, si diutius requiescant. Sed cum agitatione hac immodica, versari & equum, & meipsum sæpenumero in summo discrimine comperiebam: de vitio hoc tollendo, cum amico qui Blundiueldi librum (vt aiunt insignem) legerat, ratiocinabar. Is mihi hoc consilium dat. Equita ad diuerticulum inquit aliquod angustius, vtroque latere sepitum, ad cuius finem peditem colloca, bacillo in manu, qui minitando, & percutiendo simul, equum remoretur. Hic non esse excurrendum ait, sed succussandum tantum, aut paulo celerius festinãdum. Quod de bacillo dixit, rationi consentaneum, at vt non excurrat prohibere, mira res videbatur. Nam contumax hic, & tibi adeo repugnans equus, qui excurrere consuevit, te inuito excurret, secum ipse excandescet, ac quamuis nullam causam dederis erumpet. Retinere non potes. Quare vt succusset tantum quomodo præscribimus? prætulit, tamen lumen amicus mihi, quod alioquin non præuideram. Hoc, de meo aliquid addens (nam res mihi cum equo insignitè perdito erat,) ad hunc modum experior. Manu equum ad diuerticulum hoc duco, (nam equitare non audebam) ad alterum diuerticuli finem cancellos altos sex pedes accommodo. Intra hos, duos pedites, extra vnum constituo, vt si per hos qui intus sunt, eruptionem faceret, qui foris astat, adiuuantibus cancellis, illum retardaret. Hic à cancellis spatium non amplius ducentorum pedum in equum ascendo. Mediam viam eundo pedetentim, reliquam (quia non dum irascebatur, nec mihi iter longum restabat) succussando complebam. Vbi ex equo

descendo, & vlterius quam antea, adhuc 200. pedes reduco. Hinc placide ad pedites succussando redire decreui id quod feciſſem, ni tandem paulo iracundior conatum fefelliſſet equus. At is iam me vehere moleſte ferens: celerius quam voluj ſe promouet, ſed ad bacillorum aſpectum, & peditum clamorem conſtitit, quamuis perperam. Rurſus, (non quia placebat, ſed ne ſi inſiderem conuerſus excurreret) deſilio, & ſexcentos pedes a cancellis manu deduco, deſiderio quodam æſtuans, ſi id fieri poſſet, leniter ſuccuſſando, ad meos pedites redeundi. Sed equus iam melancholicus, (id quod huiuſmodi vſuuenire ſolet, vt gradatim in furorem incidant, quo modo, aut quare mirum videatur:) tanquam ardentibus furiarum tædis perterritus, me ſpernens, in præcipitem curſum tandem ſe dedit, coerceri non poteſt, in pedites deuolat, diſſicit, atque euertit, quicunque obuiam fiunt, & ægre ab eo qui extra cancellos erat, reprimitur eius furor. Quem vt ad me demum tranſeat voco, vt equum verberet, & vt meritas pœnas ab eo repetat. Alteros duos vt pone equum recedant iubeo, ne ſi me inuito ſe verterit, erumpat. Nunc amplius ex equo deſcendere nolui, ſed peditem appello, qui illum me inſidente, ad vltimum diuerticuli finem duceret. Porro primis duobus, quatuor alios pedites addo, vt denſi ad cancellos ſubſiſterent, vtque ſi in primos irruiſſet, à poſtremis retardaretur, ſi nullo alio modo, at manibus frænum præhendentibus. Id quod vt opinabar accidit, nam non melancholica ſed furibunda mente agitatus, vix à poſtremis cohibetur, ne per cancellos ſaluiſſet. Quem quidem illius indomitum furorem, quam rabiem, quam feritatem, adeo ſeuere, adeo aſpere vltus ſum, vt cum proxime rediret: quamuis in via magis quam volebam feſtinabat, cum ad cancellos appropinquabat tamen: premente manu, & audita voce, qua ſemper eadem vtebar, ad peditum clamorem, & aſpectum bacillorum, quibus merito nuper vapulabat, inſiſteret. Non diſplicebat hoc illius factum, licet haud egregium. Quare denuo, & ſæpius

pertento, & cum, redire ad se illum, ac resipiscere comperio, pro primo die, satis peractum iudicans, quòd illos solum timeat, qui bacilla ferunt, ex equo descendo, & pediti ducendum manu domum trado. Postridie ad eundem locum reducitur equus, nam via aperta adhuc illi non confidebam. Hic in illum conscendo, quam longissimo possum à cancellis interuallo, celeri succussatura progrediendo. Sed equus hesterni supplicii vt videatur oblitus, (quo pacto autem id in eodē loco fieret demiror.) Ad currendum se parat, nec prius coerceri poterat, quam nasum eius tetigerat bacillus. Sed tum illico se dedit. Vnde facilliter perspexeram, de hesterno cruciatu illum nunc recogitasse. Quapropter nihil primo peccato deterritus, itetum audacter probo. In initio lente, dein celerius, tum postremo, cum non longius ducentis vlnis à peditibus absum: vt quàm celerrime succussare queat, se moueat cogo. Ad peditum clamorem, eorumq; aspectum, premente manu, & audita voce *holo* insistit. Non modice hoc mihi placebat, sed audaciorem reddit, à succussatura, ad celeriorem paulo motum, vt prouocarem. Quem vbi comiter itidem cōfecit, ad habenarum attractionem, & vocis sonum expedite se sistens, antequam ad bacula peruenirent: tum vt se abscondant pedites iubeo, parati tamen ad opem ferendam vt sint, opus si fuerit. Quo tempore nullum cernens impedimentum equus: me inuito in velocissimum cursum se coniicit. At pedites ad synthema suum prosiliunt, bacillis obsistunt, ac merito grauissime in illum animaduertunt. Tum rursus an melius agat experiendum duxi, absconditis vt antea peditibus, cum tractabilem in via, ac manuetum, & ad insistendum paratum satis inuenio. Quod metuerat fortassis, factas insidias sibi. Pedites tamen euoco, qui illi blandiantur, & ostendant expeditos fuisse se, ad vlciscendum, si quam culpam commeruisset. Nunc autem cum bene de eo sperare incipiam, quater, aut quinquies simul, semper audacius probo. Hic vbi etiam obtemperantem se præbet, contentus imo gaudens, de

dorso illius desilio, ac postera die rodeo, nec vllum diē interpono, nec pedites relinquo, donec eo redacta tandem res erat, vt vel nutu consequi poteram, à succussatura, vt ad celeriorem paulo progressum festinare, à celeriore progressu, ad succussaturam redire, & celerem progressum, cum adhuc celeriore, velit commutare equus, quotiescunque iusseram, ac id quidem expedite. Neque diuerticulum hoc ante negligo, quam sæpius, vt quam incitatissimo cursu prouolet, calcaribus impellam, & facile cum libeat retardem. Ea sententia non eram, qua amicus, qui ne talem equum longo tempore ad cursum prouocarem vetuit. Nam cum liquescere sentiam, & quasi in carcerem teneam intrusum, & auxilii satis habeam, quid ni prorsus edomē, ac comprimam? Haud prospere semper eorum conatibus succedit, qui blande, qui indulgenter perficienda omnia putant. Adhibenda quandoque asperitas, quandoque castigatio, in quibus temperatum esse hominem oportere non inficior. Nunc tandem cum in ergastulo hoc, votis respondere equum animaduertam, in longiorem, & latiorem locum prodeo, vt donatum se libertate, in spem induceretur. Hic timide primum, tum audacter attento, deinde vt quam velociter excurrat compello. Præsentibus tamen pedibus, qui si opus esset opitularentur. Quorum ope nunquam, vt verum fatear egebam, postquam ergastulum hoc deserui, nisi huius solius equi causa, de quo nunc sermo est, qui tamen ad eorum conspectum statim se submittit. Haud inutile tamen dubitare, quæ infœlicius accidere possunt, nunquam auxilium obest, nec sero consilium datur.

Quamobrem cursori huic concedendum tempus ne putes, sed quamprimum inueneris, corrigendum censeas velim, ætatis rationem ne habeas. Nemo equum quem magni facit, ante annos quatuor completos exercet, nec tunc quidem, sed vt cum eo colludat, ni equus insigni aliqua improbitate ipse impulerit. Inter vitia vero præcipua, quæ in equum cadant, sit excursio hæc e maximis, magnum. Quod in permultis.

multis equis primo conſcenſu eluceſcit, cum vt viam illis modo commonſtres, equitas. Ita excurſorem hunc cognoſces. Iracunde quatit caput, ac ſi in aures gutta aliqua inciderit, ingemit, & vna tument ſub genu coſtæ, ſeque in viam parum quandoque interuallum, celerius quam velles trudit, caput, & collum extendēs. Fidele igitur conſilium dat qui principiis obſtādum conſulit, antequam radices altiores egerint. Nam ſtillam quæ heri decidit, facile a ferro abſtergimus, quæ autem diutius adhæſerit, difficilliter, aut nunquam deletur. Audacter porro & ſecure hoc ergaſtulo agitare equum licebit. Nocere illi non poteſt, tuo enim arbitratu ſubiges. Quapropter chamo etiam, aut ſola orea, quæ idem ſunt hoc loco domes mallem, quam freno, vt cum ad frænum venerit, ac retinaculum ſenſerit: tractabilior, & obedientior multo inueniatur. Deniq; vt ad exitum perducatur oratio hæc, ſi cauere vis, ne in poſterum nunquam excurrat equus, ſemel in menſe ad ſcholam hanc educatur.

Iam vt poſt longam nimis digreſſionem, ad conuerſiones noſtras redeamus: de illis hoc habeo amplius dicere. Prouidere debemus, ne partes poſteriores, aut ante, aut plus vertat equus, quam priores vertit. Memoria igitur tene, cum reflectere ſe equum doces, ſi ad vitioſitatē hanc procliuiorē videas: vt durius contrarium latus verberes. Exempli cauſa, ſi ad dextram vertere vis, vt poſteriorē partem læuā cædas. Aut ſi eum, vitiū hoc iam occupauerit: quamprimū incompoſite animaduerteris lumbos retorquere: muta conſilium ac vbi ad dextram decreueras, verte nunc ad ſiniſtrā, & cōtra, cum cōtrario latere peccatū fuerit, ſupplicio eo latere adhibito, quo culpa committitur. Vel omnino ne verte, ſed verſionem offerens, ilico manu, ab obliqua, ad rectam lineam reducito, ac primo vnum, deinde alterum calcar ad latus admoue, ac iiſdem portrude, vt rectus inſiſtat ſolūmodo. Ita inſiſtes, ac ad hunc modum quotidie illum ludes, ac pœnas ſeuere ab eo latere quod offendit repetes, donec in quo peccat demum percipiat.

cipiat. Tum ne in eandem offensionem recidat: vbicunq; subsistit, vbicunq; se flectit, super coxa semper bacillum sentiat, dum peritus, & bene doctus fiat.

Postremo præ cæteris conuersionibus: in orbe, & in simplice (vt vocamus) versione, cum medium tantum circulum conficit, est exercendus equus maxime, quoniam necessariæ hæ sunt. Has tam perfecte didicisse equum oportebit, vt quâ velocissimo cursu, huc atq; illuc, vel tenui filo flectatur. Sed antequam eo perueniatur, antequã ad velocem illum cursum venimus, ne operã perdamus, huic loco prius sinẽ admonitione quadam imponamus, ne facta infecta reddantur, & quorundam imperitia, qui bene parati equi fuerant, maxime imparati videantur. Moneo igitur vos, quibus tot equorum cura commissa est, vt ipsi ad illos exercendos non valeatis, sed aliorum indigeatis ope, vt adolescentulos, quos in sodalitium admiseritis, diligenter obseruetis, ne fræno nimium vrgeant equum, ne virga, ac calcaribus, dum progrediuntur, aut vertunt, lacessant nimis, præsertim acrem, ardentem, & expeditum equum cui blandimenta conueniunt potius quam vllæ offensiones. Nam qui manu asperiore habenas tractat, cum lenis satis esset, qui equum punit, cum non peccat, qui ad hunc modum abutitur equo, nihil aliud facit, quam vt qui antea decore, ac leuiter caput portabat, qui decenter & æqualiter corpus circumferebat, idem nunc cum manu luctetur, caput, ac collum extendens, incuruus vertatur, corpus & collum indecenter in contrarium latus retorquens. Præterea huic malo, & aliud accedit, vt quamprimum flectatur equus, trepidus in nasum præceps quandoq; ruat. Attamen huiusmodi perpetrabunt adolescentes inconsiderati (quia nesciunt quid faciunt) vel in ipsius doctoris cõspectu. Quapropter si semel edoctum bene, doctum seruare velis: indoctum ab illius dorso prohibe, præcipue temerarium, & arrogantem adolescentem. quod si plures equos habeas, quorum laxare spiritus cupis: tecum in conspectu tuo equitare licebit adolescentulis,

adolescentulis, qui tibi morem gerent, modo ipse primus, & postremus equum exerceas, illi vero interim, nihil nisi quod tu iusseris agant, & loro quod falsum appellamus, regant, donec doctiores euaserint. Atq; ad hunc modum, & tibi opitulari, & discere ipsi poterint, ac quam minimum damni faciēt. Nunc ad celerem cursum progrediamur.

De cursu incitato ac rapido.

Cap. 6.

QVanquam cuiuis equo sit cursus hic velocior, a natura insitus, haud tamen cum ad manus hominum perueniunt, ac ob nimiam illorum accelerationem quandoq; pænas dant: tam dextere, tamq; naturaliter eum præstat quiuis equus, quam optamus. Est autem res in equo ad bellum parato, perquam necessaria, dum aut nobismet ipsi dedendo consulimus, aut hosti varie vim afferimus. Quare eo sic equum assuefacies. Vbi succussatura, & paulo celeriori progressu insistere solebas, ibi nunc placide primo processu, deinde celerius equum prouocabis, sed longiore interuallo, sexaginta, aut septuaginta pedibus. Tam celeriter vero fere ire prouocabis, quam ire sua sponte velit. Tum posteaquam paululum commoratus fueris, ac illi indulseris, pari celeritate, ad alterum finem redibis: hic etiam vbi palisper manseris, ac illi adulatus fueris (nam prætermittenda, hæc duo non sunt, quotiescunque insistit equus:) reflecte illum, & denuo accelerare facito, adhuc sexaginta pedes vltra quam ante. Atq; ita singulis temporibus aliquid lucraueris terræ, donec tandem stadium trecentos pedes longum feceris, quæ quidem longitudo primo diei satis erit. Animaduertendum autem quam acceleratio hæc, sola corporis viuacitate (vt ita dicam,) fieri debeat. Non virga, non calcaribus vtendum. Ac vbi, & quomodo hodie, finem laboribus imponebas, ita, eodemq; loco, cras laborare incipies. At nunc pri-

usquam campo excedes, curriculo etiamnum, centum & viginti pedum longitudinem adiunges, illudq; iam conficere illum, quam celerrime ipse a se velit, sines. Vltro autem festinare debet, prouocandus adhuc nullo modo, nisi hominis sola vita, solo spiritu. Spiritu vero, & vita, significo validam illam corporis agitationem, qua exacuitur equus, præsertim cum voces has ædimus *hey*, aut *huff*. Hæ enim voces, cum validè proferuntur, sic corpus, sic femora, sic genua mouent, vt motum aliquem sentiat equus, qui illum excitet, licet oculis nihil perspiciunt, qui inspectant. (nam ita equo incidere debet eques neruose erectus, articulis connexis, feminibus equum firme complectentibus, genu sellam duriter premente, stapedes pedibus extendentibus. Genua, & crura laxare non oportet, haud nutandũ, haud in sella vacillandũ, illi erit. Denique sit talis equitis totius corporis figura cum equo insidet, qualis esse solet cum pedes terra insistit) propterea sit & hoc, spiritus, aut vitæ pars, moueantur cum voce crura, nam eò magis sentiet, & exacuetur equus, quamuis illum nec calcanea, nec suræ tangant. Tertio die, virga eum, & nonunquam calcaneo vrgebis, vt magis quam pridie acceleret, ac longius etiam excurrat. Atque ita quotidie celeritati, & curriculo aliquid addes, donec tandem longissimum stadium, cursu quam velocissimo, quamq; rapidissimo currat ita vt non currere, sed volare eum dicas. Tu tamen interea cauc, ne virga, aut calcaribus nimium molestus illi sis, vt ne timeat, sed discat currere, neue tanquam stipes, aut truncus in via hæreat, cum festinare illum cupias. Etenim res inusitata non est, vt equi bene edocti studeant beneuolentiam conciliare. Itaque vbi stimulis, ac verberibus excruciantur, dum currendo placere operam dant: insistere decernunt, num sic placere possint, periculum facturi. Aut forsan, ex nimio cruciatu animũ despondent, & propterea emori potius, quam progredi statuunt. In quo equitem laudabit nemo, quam ob rem virga, & calcaribus temperate vtere, præsertim cum alacer, & a se

promptus

promptus satis equus sit. Nihilosecius tamen, tempore discat quæuis tormenta perpeti nec verberibus, stimulisue, quãuis multi, ac frequentes fuerint, locum dare. Ne forte si iners, & imperitus aliquis in eum eques conscenderit, flagellis, & stimulis exanimatus cursum retarder, imo consistat.

Longitudo stadii tui ipsius iudicio relinquitur. Ipse octingentorum pedum longitudinem non excedo. Curriculum vt mihi videtur equo bellatori productũ satis. Cuius etsi debet esse extenuatum corpus, vt spiritum libere ducat, neruosum tamen, ac validum esse debebit, non dicta debilitatum, qualia sunt corpora equorum qui præmio certant. Pascatur bene hic noster bellicosus equus: vt in hostium fines longius excurrere, & iterum ad suos redire valeat, vt inimicos tandem, multo labore fugatos, plura milliaria insectari polleat, vt assiduum denique & quotidianum laborem, multo sudore manans, perferre queat. Hæc autem vt melius possit præstare, ad campos spatiosos adequita, ad prata ampla, non tam diligo arua, quia glebæ plerumq; duriores, pedum, ac tibiarum articulis nocent, terræ elatæ, quas liras vocant, genua, pectus, & humeros quandoq; infæliciter lædunt. Nec viam publicam amo, quoniam durior persępe est, quam vt in ea laboriose diutius equum exerceas. Ac mire quidem meo iudicio falluntur, qui per loca aspera, & inclinata, equos multum agitando, student eos potentiores, reddere, cum modus hic sit potius mutilos mancos, & claudos illos reddendi, vt nihil possint. Sed tamen vtiliter, imo necessario, in hisce locis exercendus equus, dummodo minus sæpe, & caute id fiat, vt si necessitas flagitet, paratior per illa volare discat. At in pratis, (ad ea enim redeo) secure agitare illum queas. Hic igitur, aut loco huic simili, (sit terra sicca, sed non dura) cælo ad labores accõmodato, equum exercebis nonnũquam succussando, aliquando progrediendo celerius, quandoq; velocissime currendo, sed raro hoc, & breui interuallo. Tum iterum ad succussaturam, dein ad celeriorem progressum, postremo ad ve-

locem cursum denuo reduces. Atq; ad hunc modum quasi in acie versarere, cum hoste dimicaturus, ab vno ad alterum prati finem, equũ vnam, duas, imo tres horas exercebis, modo vt opimior nõ sit, sed corpore laboribus extenuato. Perutile est hoc exercẽdi equum genus, ac ab omnibus equitibus amplectendum. Consideret tamẽ quisq; equum suum, quam valens fuerit, ac si illi timeat, breuiore tempore desistat. Paulo ante dixi, nullo alio modo posse hominẽ æque placere equo, atq; si de tergo illius desiliat. Bene facies igitur, cum currere doces, si idem aliquando & ipse feceris. Vbi vero vt optas perfecte currit, deinceps stadium ne currat, nisi vt lectionem repetat, ne illam obliuiscatur. Violenta enim exercitatio hæc est, violenta autem omnia consumunt, & corpus conficiunt, quæ consumunt nocent, quæ nocent, vitanda erunt. Ast quandoq; leuiter currendo quandoq; succussando, nonnunquam velocius (si modo id raro, & per breue spaciũ fiat) volitãdo, exercere equũ singulis hebdomadis licebit, sed nec hoc quidẽ tam diu, & tot horas sine intermissione quot paulo ante cõcessæ erant, præstabit aliquãtulum temporis interponere, & tunc exercitationẽ renouare. Periti equitis, & amantis equum est, habilitatem, & vires equi considerare, ac vt hæ postulant, ita cum eo agere. Hoc consilium do, ne equum lædatis. Facilis res est nocere, sed difficilis mederi malo.

Qua ratione equi pauor emendetur.

Cap. 7.

Equitur, vt quod vltimo loco pollicitus sum, ostendam, qua ratione equum animosum reddamus, aut saltem quo modo pauorem emendemus, ne tam trepidus remaneat quam illum natura formauit. Etenim sit hæc equitis præcipua laus, equum ostendere promptum, expeditum, obedientem, at nunquam timidum, sed alacrẽ semper ac familiarem. Nam

quemad-

quemadmodum ab homine irato nihil exquisite docetur, ita nec ab equo metu perculso, quid excellenter peragitur. Formido igitur quemadmodum cæteris animantibus, ita equo bifariam iniicitur aspectu, nimirum, & auditu. Etenim ne verbera quidem incidunt, nisi eleuetur ante manus, ac si asperiora fuerint, edatur & sonus vna iracūdior. Quod ad aspectū itaq; attinet, quæ visui in primis terribilia sunt, monstra, ac iisdem assuefacito. Cadauera inspectet, quibus modo detractæ pelles, bestiarum exuuias crudas, arma fulgentia, ignes micantes, & his similia intueatur, ac hisce terribiliora, si illa inuenire queas. Quæ quidem visa, quæ spectacula, si prius in equile quàm in campis ostendas: eò facies melius. Sed tum in equili hoc tam fiat crebro, tam singulis horis, vt demum ne vnam auenam, neue fæni, aut straminis vllam partem, non exesam præ timore relinquat. Quod vero ad auditum pertinet eiusmodi sonis assuetum reddes, qui maxime metum incutiunt & hoc itidem primum in equile. Talibus autem eum ibi assuefacies, quales illi loco conueniunt. Soni vero, quibus assuefieri equum oportet, cum hic, tum alibi, sunt arcuum, & balistarum fragor, gladiorum, ac aliorum telorum conflictus. Tympanorum (si latinum hoc sit) reboatus, tibiarum inflatio, cornua, tubarum clángor. Porro bombardis minoribus, quas manibus ferunt milites, etiam hic assuetus esse equus debet.

Nunc vero vt ad visa redeam: vbicunque horum aliquod intueri grauiter fert equus, seque meticulosum ostendit: propterea ne vapulet, sed in medio timore illi gratificaberis. Rursus ne prępropere, nec immature illi primùm, quæ terribiliora sunt ostendas, neue quæ terribilia sunt simul omnia, in principio cōmonstres. Præterea, nec audienda primò, & pariter omnia, quæ præcipue terrent, sed per gradus, ad ea veniendū, in principio, vt quæ minus, tū quæ magis, postremo, vt quæ maxime terrorem inferunt, videat, & audiat. Porro ab equis procul remoueantur primum, quæ visum, & auditum perterrent. Dein prope, ac etiamnum proprius aduēient.

Id quod commode satis fieri queat, dum in equile sunt equi. Vasa etiam opportune contegantur, & ad tempus quiescant sonitus, ac tum postea renouentur. Hæc demum tam in campo fiant, quam nuper in equile facta sunt. Ad hæc hoc accedat etiam, vt qui terrorem hunc incutiunt, equis quam amice possunt appropinquent. Frontes eorum, ac colla palpitent, ac manibus, tubis, tormentis, & quibuscunque aliis instrumentis, quæ terrorem modo iniiciebant, demulceant. Olfaciant ea equi, ac videant, nil velle ipsis mali, qui illa portant. Insuper haud inutiliter fit, vt ipse equitans, tormentum aliquod palmare (quorũ nostro tempore permulta genera sũt,) accendas, ac emittas. Sed ita emitte, ne scintilla vlla in equum incidat. Et caue, ne primo resonet admodum. Puluueris igitur eo minus impone. Ad postremum equitate sex, aut plures, (si abunde vobis adsint equi) in agrum aliquem nouatum, vel pascua sicciora. Astent septem pedes à se remota, equitum duo paria, vnum recta linea aduersus alterum, quorum enses vibret, & collidat vnum par, alterum tormenta accendat. Tertium per illa, ac circum illa, equos exerceat, ac animet. Atq; ad hunc modum, vnum sequatur alterum par, donec tandem omnes, equos vestros exercueritis, & audaciores reddideritis, vno pare, in alterius locum alternatim succedendo. Sin angustam hanc viam præterire, (quod in principio fore verisimile est) nolint equi: longiore interuallo disiungantur illa paria quæ astant, & vbi tempus fuerit, ad primam angustiam redeant. Obseruandum denique, si blandis modis ad terrores hos adduci nequeat equus: vt tunc acerbe, ac aspere, cum eo agas, quamuis paùlo ante dictum sit, ob timorem non esse verberandum equũ. Nam quod vno modo non possumus, alio efficiemus. Quam ob rem, si arte, & facilitate non valeamus, quid asperitas possit experiamur. Iam pellat metum metus. Quod si adhuc, cum illo tam acerbe agere nolis (id quod nec ipse libenter facerem) vel tu per terribilia hæc manu equũ ducito, aut equo insidens, simulque adiuuans, ope

peditis

peditis alicuius periti vtere, qui illum ad formidabilia hæc adducat. Quę (simulatq; submissius se gesserit equus, licet volũtati tuæ prorsus non assenserit:) ad tẽpus sileant tamẽ, & contegantur, ac rursus cum videbitur, audiantur, & appareant denuo. Interim blandire equo, ac si omnino non timuisset. Sæpe vero agendum hoc, & quotidie, nam haud facile assequeris, quod conaris. Vbi vero semel assequutus fueris prospice, ne ad pristinum metum relabatur. Viro armato igitur armatura quam fulgentissima ornato, frequenter, ac pręcipue illum assuefacies. In huiuscemodi enim hominis familiaritatem vbi venerit, facilius cætera exorabis. Galea vero imprimis ornetur hic noster armatus vir. Quia ad caput, & ad oculos hominis. Quorum si vis, illi aspectum præbere per galeam potes, præ cæteris corporis partibus, naturaliter respicit equus, suntque oculi hominis equo potissimum terribiles. Huiusmodi, & horum similibus inuentis, nonnullos nihil timere facies, aliis, (etsi illos natura timidissimos finxerit) aliquem animum addes. Attamen quod modo dixi, non vno die, sed longo vsu, & quotidiana exercitatione, exercitatione enim optima quæque assequimur, sine hac nihil attingimus, ne homines quidem. Nunc autem vt vnde orsa est in eodem terminetur oratio, pro experientia nostra (nihil enim à quoquam mutuamur) edocti estis, quomodo procreandi, quomodo eligendi, quomodo in equili tractandi equi fuerint, & cum ad campum venerint, quo pacto expeditos, ac animosiores reddere illos queatis. Quæ quidem doceri imperitos, etsi sterili, & infœcundo hoc more: nonnihil tamen eis prosit, ac aliquod lumen præbeat. Attamen præcipuum est in ipso equite, in te ipso, nam si tu equas neglexeris, si equilis curam non habueris ipse, si vnquam trepidauerit cor, si non præsens animus vbicunque equitaueris, si equi naturam, & oris qualitatem non habeas, tempore suo, & sistendi, & flectendi equũ, si ignauum, agilemque non discernas, si in equo vitium cernere non valeas, si ad emendandum illud diligen-

etiam non adhibueris, si emendare non audeas, frustra docet, quicunq; docet, licet peritissimus, licet eloquentissimus doceat. Præterea, quandoque, vltra omnes regulas pellimur, ad nostra ipsorum inuenta, adeo varia est, & multiplex, equorum natura. Quam ob rem si aliquid luminis afferat hic liber, quamuis paruum illud fuerit, quamuis tantulum, etsi non omnino expectationi vestræ satisfaciat (quoniam scrupulum iniicere, dum vobiscum legunt, possint, qui prouectiore ætate sunt:) quæso tamen à vobis, adolescentes generosi, vt scriptoris mentem, voluntatemque, in bonam partem accipiatis, qui si potuisset, (sed res ea difficilis) penitus, non vestris modo, sed peritiorum etiam desideriis, libenter respondisset. Valete. Stand.

1586. Nouemb.

FINIS.